MONUMENTA

REFORMATIONIS LUTHERANAE

EX TABULARIIS SECRETIORIBUS S. SEDIS

1521—1525.

COLLEGIT, ORDINAVIT ILLUSTRAVIT

PETRUS BALAN,

PRAELATUS DOMESTICUS S. D. N.

EQUES TORQUATUS I. R. ORDINIS FRANCISCI JOSEPHI.

MDCCCLXXXIV.

RATISBONAE, NEO EBORACI & CINCINNATII.

SUMPTIBUS FR. PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

OENIPONTE. TYPIS FEL. RAUCH.

Ad lectorem.

Quae nunc in lucem edimus, omnia ex Archivo secretiore Sanctae Romanae Sedis tracta, integra et sincera damus; non omnia nova, attamen omnia accuratiore studio edita credimus. Quaedam ediderat iam Friedrich[1]) ex codice tridentino, cui fortasse ille maioris ponderis auctoritatem tribuit quam mereatur; edidit tamen satis mendose et imperfecte, quum multa in codice deessent etiam Aleandri, omnia Vicecancellarii et aliorum. Quaedam ediderat etiam Laemmer[2]), sed, nescio quo fato, mutila et errata pluribus in locis. Quaedam Raynaldus et alii ediderant ex diversis codicibus. Nos ex codicibus authenticis, ex *originalibus litteris*, ex Aleandri collectionibus *propriis ipsius manibus ordinatis*, *propriisque oculis revisis* omnia transcripsimus vel nostra vel amicorum opera.

Et primo quidem litteras Aleandri ex ipsius collectione pontificiis tabulariis asservata, et charactere proprio Aleandri correcta illis locis in quibus oscitantia scribae apparebat, transcripsimus. Haec collectio iusto volumine continetur, in cuius fronte haec verba ab Aleandro inscripta sunt: *Epistolae italicae in prima mea legatione Germanica.* Hoc volumen olim primum Nunciaturae Germanicae, nunc habetur ordine L.

Epistolas quoque Vicecancellarii ex proprio originali descripsimus; Aleander enim epistolas ipsas collegit, sigilla fere semper intacta servavit, et secum omnia referens, Romam in Pontificiis tabulariis tamquam rerum gestarum monu-

---

[1]) In Abhandlungen der Historischen Classe der königlich Bayerischen Akademie der Wissenschaften. Eilfter Band. München. 1870.

[2]) Monumenta vaticana. Friburgi Brisgoviae 1861.

menta indubitata deposuit, et litteris a se scriptis uno coniunxit volumine. Epistolae ipsae quae ad nuncium missae sunt, nobis eo pretiosiores extiterunt quia, quum epistolae Aleandri chronologico ordine destitutae plerumque chronologicis notis carerent, harum auxilio notas ipsas restituere, saepissime sine dubitatione, aliquando maxima probabilitate, potuimus.

Quod ad Brevia pontificia attinet, Regesta originalia, *minutas* (uti vocant) originales, duplicata, in tabulariis vaticanis asservata consuluimus.

Caroli V, Ferdinandi Archiducis, Alberti Cardinalis Moguntini, Joachini Brandeburgensis, Ducum Bavariae, Margaretae Austriacae, Episcopi Tridentini, Ducis Lotharingiae, Henrici VIII Angliae et Gustavi Wasae Sueciae regis, Joannis Haneri, Rorarii aliorumque multorum principum, episcoporum, scriptorum epistolas ex originalibus transcripsimus, quae collectae variis voluminibus, quibus est titulus: *Epistolae variorum ad Clementem VII;* sive *Epistolae principum* aut propriis capsis collocatae, non transcriptae sed originales, asservantur. Brevia quaedam ex *minutis* ipsius Jacobi Sadoleti hausimus, cum ultima tamen scriptione, pro mutationibus aliquando a pontifice factis, conferentes.

Campegii epistolas ex volumine LIII Germanicae Nunciaturae transcripsimus: in ipso volumine eadem originalia servantur.

Tandem pauca documenta transcripsimus ex volumine Tabularii Sanctae Sedis, cui titulus: *Eckii, Erasmi, Blosii et aliorum epostolae*, quo exacta et probata aliquarum epistolarum apographa continentur.

Ut tamen cuicumque facilis habeatur nostrae editionis cum originalibus monumentis collatio, uniuscuiusque monumenti locum fideliter notavimus. Monumentorum a Friedrich editorum variantes lectiones, eo quod longum et fere inutile opus videretur, non recensuimus; recensuimus quidem variantes lectiones monumentorum a Laemmer editorum prout opportunum visum est.

Ad perfectionem collectionis nostrae fortasse optimum videbatur et alia notissima monumenta historiam Reformationis illustrantia addere: sed haec, quia notissima et obvia cuique, ne volumen inutiliter augeretur, omisimus; monumenta

tamen vel mutila vel interpolata in notis editionibus, iterum dedimus veramque eorum lectionem cudimus.

Auxilium voluimus veritatem quaerentibus suppeditare; monumentis historiam illustrare; nec inutile ad hoc opus nostrum, nisi nostra nos fallit opinio, evadet. Ac propterea usque ab initio collectionis nostrae epistolam Papae Leonis X ad Fridericum ducem Saxoniae datam omnino ab illa quae in Jenensi editione operum Lutheri impressa est, diversam posuimus.

Die 8 Julii anni 1520 Leo X epistolam gravissimam Friderico Duci Saxoniae scripsit. Epistolam hanc inter Opera Lutheri Vol. II. invenimus; invenimus etiam in collectionibus recentioribus, non lutheranorum tantum sed et catholicorum, ut in Leplat et alibi. Numquid ista epistola authentica, sincera, germana est?

Ipsa incipit illis verbis: *Quod ad nos* et ait: Pontificem gravissimorum virorum testimonio scire Ducem summa prudentia summaque in Deum et orthodoxam fidem pietate, nobilitate etiam animi et maiorum perpetuo Christianae reipublicae et Sanctae Sedi faventium memoria, semper conatibus Martini Lutheri iniquitatis filii obstitisse, neque ullum unquam auxilium aut favorem huic homini praestitisse, ita ut augeretur maxime benevolentia qua pontifex ducem prosequebatur, ipsius egregiam virtutem semper admiratus. Post haec prosequitur Leo: „Sapientissime huius pestilentis ac venenati hominis familiaritatem aspernatus es . . Illud vero religioni tribuendum est quod nunquam in quenquam tantorum errorum consensisti et eis potius obstitisti. Nec per te occasio ulla data est a vetere et diuturno per Spiritum Sanctum tot seculis conservato ordine fidei orthodoxae deficere.“ Et rursus: „Hominis scelerati et nefarii impiis conatibus tales obices“ Deus opposuit. — Non satis bene sonant talia et tanta anno 1520 scripta, mense Julio, tribus vix mensibus transactis ex quo Valentinus a Deitleben Ducis apud Pontificem administer, Duci ipso scripserat: „Publicam famam adfirmare Lutherani a Saxone ali, foveri et clementer haberi“.

Quomodo Pontifex mense Julio publicam vocem mense Martio clamantem, ignorabat aut oblitus erat? vel quomodo tali adversus Ducem assentatione vilescebat? Praeterea die 1 Aprilis Dux ipse, ut se contra accusationis vocem tueretur

scripserat aperte: hanc puolicam famam non ignorare „attamen Lutheri doctrina non omnibus mala videbatur“.

Ex hoc satis liquebat Ducem nova dogmata nec defendere nec impugnare; quomodo igitur Pontifex illum tantis laudibus presequi poterat ac si erroribus Lutheri se semper opposuisset et illius doctrinas perpetuo impugnasset? Nec Leonem latebat, Ducem eo ipso tempore, quo a se culpam favoris Luthero dati ut arcerat conabatur, professum fuisse: „Lutheri doctrinam multorum eruditorum et intelligentium iudicio, piam et christianam haberi et adprobari“.

Ex his iam oritur dubium de sinceritate epistolae Leonis; quod quidem dubium et firmatur et augetur, si consideremus, nusquam in regestis Leonis epistolam apparere; nusquam vel actum vel scriptum simile in pontificiis tabulariis inveniri. Inordinata chronologice et confusa quidem Leonis regesta fatemur, sed omnia iterum iterumque evolvimus; epistolas etiam minimi momenti invenimus; hoc gravissimum monumentum nos semper latuit; per pluteos, per capsas quaesivimus an aliquod vestigium appareret, an aliqua etiamsi ambigua indicatio; at nihil omnino. Monumentum huiusmodi, pretiosum certe et quod accuratissime pro historia, pro rerum gestarum iustificatione servari debebat, omnino desideratur etiam inter *Acta Wormaciensia* quae Aleander summa cum diligentia collegit ad perpetuam rei lutheranae memoriam. Brevia, epistolae, memoriae, notae copiosissimae hic habentur; non haec epistola.

Attamen Leo X epistolam Duci Saxoniae die 8 Julii 1520 dedit; hoc historici recentiores testantur; hoc cooevus scriptor, qui de initiis lutheranae Reformationis scripsit et cuius scriptura in tabulariis vaticanis servatur, testimonio suo firmavit. Quaesivi diligentissime ubique, omnibus tabularii angulis exploratis, et tandem inveni epistolam Leonis X die 8 Julii 1520 Duci Saxoniae Friderico datam, sed omnino diversam a vulgari lectione inter Opera Lutheri excusa. Incipit enim nostra: „Credere volumus nobilitatem tuam nos, et pro natura nostra et pro pastorali quod gerimus, officio, ad lenitatem et mansuetudinem propensos, moleste admodum ferre cum vel unus aliquis ex grege eorum qui sacro perfusi baptismate filii sunt et Dei et nostri aliquid committat in legem sanctam et scripturas quo eiici ex Ecclesia mereatur; vel cum illo ad sceleris sui

vesaniam et contumatiam et obstinationem addente ad nos necessario defertur necessitas vindicandi; nam et interitum vel minimae ovis ex grege nostro cum dolore ferimus, et poenae animadversio mansuetudini nostrae vehementer est contraria".

Quae verba! quam diversa ab editis lutheranis!

At non diversa tantum sed et contraria, in sequentibus occurrunt: „Testem Deum omnipotentem et tuam nobilitatem facimus, nos iam ab initio cum Martini Lutheri, quem filium amplius nostrum vocare non possumus . . . diutius esse passos quam forsitam pastoralis curae vigilantia postulabat; sed ea spe esse passos quod illum ad poenitentiam converti et *tuam nobilitatem non offendi* optavimus. Sic enim *communi omnium sermone praedicabatur tibi illum charum acceptumque esse, tuoque illum patrocinio magis confisum quam oportebat,* hos tantos sibi arrogantiae spiritus assumpsisse".

Haec verba omnino contraria sunt laudibus Friderico datis pro constanti oppugnatione Lutheri, pro reiecta eius familiaritate, pro fidelitate etc. Nemini igitur dubium quin si una sincera est, altera omnino spuria sit habenda; nam uno die duae sic inter se pugnantes epistolae scriptae missaeque esse non possunt; una ergo falsa est; sed quaenam?

Illud observandum prae caeteris quod dum lutherana epistola quae Romae circumferentur voces ignorat, vaticana et cognoscit et reminiscitur. Resciverat Fridericus a Valentino de Deitleben „quod publica fama affirmabat Lutherum ab ipso ali, foveri et clementer haberi", itaque in epistola vaticana Leo scribit electori: „communi omnium sermone praedicabatur Lutherum tibi charum acceptumque esse, tuoque illum patrocinio hos tantos sibi arrogantiae spiritus assumpsisse".

Et logica et historia magis huic conveniunt, quam stylo mendaci quo asseritur Ducem Saxoniae „semper infensos habuisse iniquitatis filii Martini Lutheri conatus". Et haec pro magna praesumptione contra sinceritatem epistolae lutheranae habenda tenemus.

Sed, quaeso, quomodo poterat Aleander epistolam diei 8 Julii ignorare? Nec revera ignoravit; ignota illi fuit epistola a lutheranis deinde edita; novit apprime, retulit, in collectione sua composuit epistolam vaticanam. Haec ergo indubitanter sincera, vere missa, unice scripta fuit; nec inter

Acta Wormaciensia Aleandri, nisi talis, inveniri posset. Etenim dum epistolae lutheranae nec vestigium, nec minuta, nec transcriptio inter pontificia monumenta exhibetur, huius vaticanae textus officialis inter acta sincera dietae Wormatiensis, inter sincerissima Concilii Tridentini monumenta in secretiori Sanctae Sedis tabulario omnibus patet.

Quod si nec haec argumenta sufficiunt, addatur et illud, quod ab auctoritate romanorum scriptorum eruitur. Iis enim omnino ignota fuit lutherana, nota vaticana quae procul dubio strictim a coaevo *narrationis initii reformationis* auctore et ab ipso Cardinali Pallavicino refertur, quum nec ipse Cardinalis nec Paulus Sarpi lutheranae meminerit.

Sed quaenam causa fuit, cur, epistola vaticana inter opera Lutheri omissa, adsit alia nec sincera et omnino diversa? Nulla certe in Romanis scriptoribus huius substitutionis adesse poterat ratio ; quod facile cuique patebit dummodo tenor epistolae lutheranae, demptis contradictionibus, parumper consideretur; non enim in ipsa habentur quae a catholicis reiciantur; cum nulli usque huc homini catholico aut ob doctrinas minus convenientes, aut ob stylum incertum dubium ingesserit, nec doctrinae diversae sint in lutherana quam in vaticana; alia ergo et in aliis substitutionis causa quaeratur necesse est.

In vaticana epistola nonulla sunt quae in lutherana desiderantur, quaeque omnia Fridericum Saxonem magnum Lutheranismi patronum respiciunt. Dum lutherana pro certo et firmo ponit ipsum omnino et semper infensum Luthero fuisse; vaticana eum patronum, fautorem, amicum Lutheri confirmat; quodque plurimum refert, dum lutherana nec vestigium quidem minimum promissionum Ducis executioni et factis contrariarum affert, vaticana earundem promissionum reminiscitur, easdem refert, et Friderico ante oculos ceu testimonia violatae fidei obiicere non veretur. Non acerbe, non acriter, sed indirecte suavibusque modis haec fiunt; ita tamen ut nec Friderici gloriam augeant nec ipsius animi germanitatem et nobilitatem ostendant.

Leo virtutes progenitorum Friderici recenset, eorum in Sanctam Sedem devotionem singularem, zelum in variis Boemorum contentionibus exhibitum; promissorum pietatis et constantiae redundantium meminit, quae Cardinali Caietano praestiterat Dux quaeque, iamdiu ab ipso Cardinali Romano Pontifici relatae, ferebant Ducem ipsum hominem illum, Martinum

scilicet, laturum dum eum Sedis Apostolica non reprobasset; quod si factum esset se nullum illi amplius favorem praebiturum. De his omnibus in epistola lutherana ne verbum quidem; et iure, nam si haec ex una parte memorabantur, lutheranoram intererat ignorare et perpetua oblivione, si fieri posset, delere.

Leo scribit Friderico: „Testis es ipse quamdiu Lutherum pertulerimus paternis nunc hortationibus, quandoque minis monendo, increpando, interdum et benigne promittendo, a tanto eum furore revocare conati". In epistola lutherana vix ac ne vix quidem Pontificis longanimitas et mansuetudo memoratur; non enim perpetuae curae lutheranis suffragabantur Pontificis pro reducendo in rectum tramitem Luthero.

Tandem nec Friderico nec lutheranis memoria promissionum ipsorum arridebat, ac propterea omnino in epistola lutherana praeclara verba desiderantur quae in vaticana sic de ipsis loquuntur; „Haec enim illa est hominis huius et eiusdem errorum per Sedem Apostolicam in Catholico peritissimorum conventu Spiritu Sancto praeeunte qui in huiusmodi causis huic Sanctae Sedi nunquam abfuit, facta reprobatio, quam te expectare dixisti; quae tamen antequam fieret potuisti pro tua prudentia animadvertere quae esset Martini Lutherii mens, quam impia cogitatio". Et renunciatis Lutheri excessibus, Pontifex concludit: „Quae cum gravia per se, tum vero postquam huius Sanctae et Apostolicae Sedis accesit declaratio, tuum jam est, dilecte fili, omissa hominum amicitia, eam quae Dei est caeteris rebus anteponere, *nobisque praestare fidem et promissionem quam in pignus et signum tuae christianissimae mentis dedisti;* ut *extincto sermone hominum* qui *tua fiducia* hunc saepe iam dictum iniquitatis filium Martinum Lutherum *favere affirmant*, tua excellens virtus ac nobilitas suum debitum splendorem apud Deum hominesque obtineat. Quod ut facias non solum petimus et obsecramus sed in nomine etiam Dei omnipotentis et in virtutae sanctae obedientiae requirimus".

Quantum haec nobilitate, spei et amoris coniunctione et mansuetudine a verbis epistolae lutheranae differunt, quae sic sonant: „Eum quantum in tua auctoritate et potestate est, capi captumque ad nostram instantiam custodiri cures et studeas. In quo nobilitas tuo praeclaris initiis virtutis suae ex-

imiae pares reddiderit exitus, nec mediocrem maculam a sua et familiae et Germanicae nationis claritate repulerit, hancque apud Deum et homines excelsam laudem promereberis esse tuae nobilitatis opera ac pietate, ardens incendium summotum et extinctum . . ." Haec omnia benignus lector clarius etiam videre poterit, si lutheranam epistolam cum primo nostrorum monumentorum conferat; perspicuum enim erit omnibus epistolam secundi voluminis operum Lutheri sinceram non esse sed fortasse a lutheranis confictam, demtis omnibus quae promissiones, infidelitatem Ducis, eiusque favorem Luthero praestitum respiciunt, dissimulando quoque longanimitatem, prudentiam, mansuetudinem Pontificis.

Aliud etiam monumentum non parum a lectione lutherana diversum edidimus Numero 48 fol. 120. Agitur enim de epistola a Carolo Imperatore ad Lutherum missa, ut eum ad diaetam Wormatiae invitaret. Haec epistola fol. 411 vol. II. Operum Lutheri legitur, sed habet hoc modo rationem vocandi Martini: „quoniam proposuimus propter doctrinam et libros aliquandiu hactenus abs te editos *scrutinium abs te sumere*"; quae verba disputationem non excludunt, imo supponere videntur in scrutinio instituendo; clarius disputatio excluditur in monumento nostro sicut legitur in collectione Aleandri; in ipso enim scribitur: „intendimus et conclusimus ratione doctrinarum et librorum qui per aliquod tempus a te editi sunt, ex te certitudinem accipere". Minus accurate relata est epistola ab editoribus Lutheranis; ipsi enim habent in fine ipsius: „Datum Wormatiae die VI Martii anno Domini MDXXI regnorum nostrorum *romani tertio* ecc." Sed mense Martii anno 1521 signandus erat annus secundus non tertius; Carolus enim electus fuerat decima hora diei 28 Junii 1519. In collectione Aleandri accuratius legitur: „Datum in civitate nostra imperiali Wormatia die VI mensis Martii etc. regnorum nostrorum Romani *secundo*, ceterorum vero sexto".

Qua ex causa proveniant, quorsum tendant hae et aliae variationes monumentorum, non inquirimus; attamen de sinceritate patrum reformatorum luculentum testimonium non praebent. Quae sinceritas etiam aliunde nimis dubia probatur, ut ex monumentis nostris satis liquet. Aleander saepe expertus est artes et commenta reformatorum; ipsum enim isti dicebant et neophytum, et judaico patre natum, et ex infima plebe ortum;

quae omnia mendacia esse probantur ex Aleandri epistola ad Eckium, ubi de libellis famosis in se conscriptis dicens, ait: „Adeo sunt omnia plena mendaciorum et frigidissimae calumniae qua me Iudaeum ac recens lotum vocant, quasi ignoretur patria et parentes mei, qui ex marchionibus Pilosae Petrae in Histria et comitibus Leandri oriundus, aut fuissem ego in canonicum Leodiensem receptus probata etiam examinatissimis et juratissimis testibus e quatuor capitibus nobilitate, si neophaetus essem. Vide hominum impudentissimorum ineptissima commenta“[1]). Sed non solum his commentis Aleandrum insequebantur reformatores; in ipsum vehementibus iniuriis et inhonestissimis nominibus saeviebant[2]), coniurationibus insectabantur, molestiis omnimodis circumdabant. „Reliquias salutis meae fere amisi, scribebat ille die 18. Februarii 1521, perpetuo mortem mihi minatur, mortisque periculum semper est ante oculos, et quantum attinet ad gratiam et famam aliquidque nominis quod prius habebam in Germania, perierunt omnia, innumeris conviciis et irrisionibus insectatus“[3]). Franciscus Sikingen et Hulricus Hutten acriter invehentes in eum, plebis furori ipsum ut iniquissimum hostem indicabant; in ipsum plebs coniurabat, sanguinem ipsius sitiens, et conclamans quod nec gremium Caesaris esset illi tutum refugium[4]).

Ut de Aleandri natalibus ita et de natalibus Clementis Papae Ecclesiae hostes non pauca indecora evulgarunt; quae tanto credibiliora habita sunt quanto etiam inter florentinos scriptores a nonnullis narrata, tum ab aemulis potentissimae domus Mediceae tum a popularis regiminis amatoribus libenter accipiebantur. Vulgaris etiam fama referebat Julium Cardinalem non natum ex legitimo matrimonio, tantum naturalem esse Juliani Medicis et cuiusdam Floretae humilis conditionis foeminae filium; hoc florentini cives, hoc idem Leo Pontifex aliquandiu crediderunt; at, quum anno 1513 de ipsius Julii episcopali electione florentina ageretur, in quorundam memoriam legitimum Juliani et Floretae matrimonium rediit, factique testes passim numerabantur. Ortum dubium Pontifex Leo in certitudinem vertere, veritate perspecta, curavit; auditis testibus, auctoritatibus excussis, argumentis perpensis, tandem lux facta est et Julii natalium legitimitatem probatam, firma-

---

[1]) Docum. 23. fol. 58.
[2]) Docum. 12. fol. 31.
[3]) Docum. 24. fol. 62.
[4]) Docum. 95. fol. 245.

tamque, solemni pontificio monumento sancitam vigintiduo cardinales propria subscriptione solemniorem reddiderunt. Monumentum hoc historicis, ut credimus, omnino ignotum, nunc quasi collectionis nostrae pretiosum complementum ex secretioribus S. Sedis tabulariis erutum in lucem damus; multi enim nec minimae auctoritatis scriptores Clementem Concilii convocationem adversatum ob natalium defectum tradiderunt, eumque aliquandiu remissius eadem de causa in rebus Germanicis egisse; quod falsum omnino ex documento nostro probatur. Attamen nec conviciis, nec calumniis, nec monstrosis quibusque obtrectationibus in Clementem neoreformatores parcebant.

Eodem tempore mirabilia praedicabantur de Luthero, cuius fautores, tanto audentiores quanto timidiores catholicos et magistratus et principes videbant, submurmurabant prius, deinde aperte disseminabant, nullo modo Lutherum damnandum antequam audiretur; si audiretur, miranda dicturum[1]). Dux Fridericus Saxo interea principibus narrabat se certo scire Papam Luthero, si a proposito desisteret, magnam archiepiscopalem sedem vel purpuram ipsam sicut promiserat daturum; quod mendacium Aleander refutavit cum electore Trevirensi loquutus[2]). Nunc imago Lutheri nimbo circumdata ceu sancti hominis publice ostendebatur; nunc circumferebantur imagines Lutheri et Hutteni *quorum uni prae manibus stabat liber* alteri gladius cum subscriptis verbis: *Christianae libertatis propugnatoribus M. Luthero, Ulrico ab Huten*[3]).

Prohibitum fuerat Luthero concionari publice in intinere a Wittemberga ad Wormatiam dum ad diaetam de libris suis responsurus proficisceretur; at Erfordiae magno populi concursu publice selemniterque concionatus, iter prosequutus est maximo fastu a sex doctoribus, plurimisque nobilibus comitatus[4]). Caesar promiserat nunciis ingressum Lutheri in civitatem Wormatiam secretum futurum; at Lutherus solemniter venit, centum equitibus usque ad portam civitatis comitantibus; currum ascendit octo equitibus circumdatus, maximo populi concursu, dum quidam apostata presbyter, ipsum in ulnis accipiens, inclamabat se maximum totius mundi sanctum tetigisse. Caesar demum nunciis promiserat virum illum nemini alloquuturum; sed statim plurimi nobiles, iurisperiti, cuiuscumque conditionis

---

[1]) Docum. 11. fol. 25 et 27. [2]) Docum. 14. fol, 39, 40.
[3]) Docum. 36. fol. 103. [4]) Docum. 62. fol. 161.

viri ipsum adierunt, et cum ipso loquuti, verba illius per civitatem diffuderunt. Quibus rebus permotus Aleander scribebat: „Quid nunc Pontifex dicet, imo mundus, de auctoritate officioque Caesaris, de decretis, de promissionibus ab ipso factis" ?[1]) Caesar tamen, firmissima virtute mandatum damnationis Lutheri paraverat; tunc maxima Lutherani indignatione concepta, ut orthodoxis timorem incuterent et mandati executioni obsisterent, schedulam ad arma populum excitantem appenderunt[2]). Postquam Universitas studiorum Parisiensis propositiones Lutheri damnaverat, lutherani per Germaniam vulgo disseminabant Universitatem ipsas approbasse, demtis tantum duabus propositionibus dubiis[3]). Sparserant etiam in nuncios, ipsos Caesarem, consilium, aulicos et omnes pecunia venali modo captivasse[4]). In reditu suo Lutherus sese in arcem tutissimam, secreta Friderici Ducis opera, receperat; at eius fautores interfectum a catholicis praedicarunt, populum et aulam ipsam in pontificios concitarunt, nuncios primo, deinde presbyteros omnes catholicos occidendos esse inclamantes[5]).

Non reformatorem religionis, erat enim potius destructor; non virum doctum et pium, dum omnibus nota vitia eius; non denique egregium scriptorem Martinum populus et principes existimabant; sed hostem Romae, sed odii germanici interpretem, sed quodammodo vexillum rebellionis et licentiae.

Non omnes libros qui Lutheri nomen in fronte gerebant Lutherus scripserat; hoc publice notabatur, hoc Martinus Trevirensi electori fatebatur, subiungens quod, si ipse libros et doctrinas revocasset, plusquam viginti succederent qui peiora et dicerent et docerent[6]). Viginti isti erant ex academicorum numero; in Germania enim litterati viri nova quadam litterarum antiquarum ressurrectione elati, gentilitatis flores christianis fructibus anteferebant; „morosissimum, ut ait Aleander, grammatistarum et poeticulorum genus quorum Germania plenissima est; hi tunc demum putant se haberi doctos et praesertim graece quando profitentur se dissentire a communi Ecclesiae via." Et alibi: „Sicut canes rabidi litteris et armis instructi, maxime gloriantur quod iam non bestiae sicut eorum

[1]) Docum. 62, fol. 165 et docum. 64. fol, 170, 171.
[2]) Docum. 74. fol. 193.
[3]) Docum. 80. fol. 213.
[4]) Docum. 95. fol. 243.
[5]) Docum. 95. fol. 245.
[6]) Docum. 67. fol. 173, docum. 94 fol. 196, 197, doc. 95. fol. 246.

maiores sunt; quod Italia litteras amisit, quod Tibris defluxit in Rhenum"[1]). Philosophia et theologia tunc temporis in Germania fere omnino negligebantur; litteris et eloquentia omnia agebantur. Et Lutheri discipuli, dum Lutherus et concilia, et pontificem et logicam quoque reiciebat[2]), summa diligentia summoque studio stylum et formam scriptorum et libellorum et satyrarum polibant; Aleander ipse testatur se particulam epistolae Hutteni plusquam centum correctionibus refertam, paene singulis verbis decies mutatis, vidisse. Qua occasione generosa iustissimaque ira Aleander invehitur in oratores illos et poetas qui Romae plaeclara ingenia politioremque stylum in vacua poemata, in rhetorum exercitia insumebant „se vicissim lacerantes pro uno verbo", dum unamines esse deberent in defensione catholicae fidei, Italiaeque honore vindicando a Germanicis insultibus[3]).

Sed iam satis de his; dicendum potius de utilitate monumentorum nostrorum ex quibus certe multa pro historica veritate haurienda essent, si occasio et opportunitas nunc sineret. Magni pretii sunt instructiones Hieronymo Aleandro datae cum ad diaetam Wormaciensem proficisceretur[4]), responsio Caroli V. ad epistolam Universitatis Viennensis[5]), epistolae Leonis ad nuncios in Germania, et ad Carolum V[6]), epistolae anonymi de rebus germanicis[7]), litterae Aleandri ad Joannem Eckium, litterae Hezii ad Clementem Papam, Adriani VI. ad Archid. Ferdinandum, Gustavi Wasae regis Sueciae ad Hadrianum VI., Johannis Haneri ad Clementem VII.[8]). Nec minoris pretii iudicandae epistolae Rorarii, Episcopi Tridentini, Cardinalis Lotharingiae, Ferdinandi archiducis de bello rusticorum, et perspicuum illud compendium rebellionis et belli eorundem ab Eckio pro Clemente Papa et pro Henrico VIII. Angliae rege compositum.

Pretiosissimum monumentum est illud quo instructiones continentur Episcopo Tergestino et Jodoco datae ut Fridericum Saxonem a fovendo Luthero deterrerent[9]); Pallavicinus enim ex hoc et ex oratione Aleandri ad ducem Saxonem[10]), quen-

---

[1]) Docum. 12. fol. 31. et doc. 56 fol. 142, 143.
[2]) Docum. 74. fol. 196.
[3]) Docum. 61. fol. 155, 156.
[4]) Doc. 4. fol. 8.
[5]) Doc. 7. fol. 16.
[6]) Doc. 8. fol. 17 et 13. fol. 34.
[7]) Doc. 15 et 20.
[8]) Doc. 23, 129, 131, 141.
[9]) Doc. 35. fol. 87.
[10]) Doc. 30. fol. 69.

dam non inelegantem, sed non omnino in omnibus verum sermonem confecit, quem ab Aleandro recitatum finxit, quemque inter documenta sincera Leplat edidit, aliique numerarunt. Optima haec consuetudo, temporibus Pallavicini, habebatur sermones effingere et in ore haeroum, ducum, principum ponere; sed ab historiae severitate alienam, quamquam fortasse lectoribus gratam, reor. Hac vero occasione Pallavicinus pro sermonis robore nonnulla addidit quae, si minus opportuna iudicari nequeant, quum non coram quoddam principe recitata sint, sed in frequentissimo imperii principum conventu, germanam tamen simplicitatem non servant. Instructiones Episcopo Tergestino et Jodoco datae severam quandam vim praeseferunt; neque inornata forma illis obest; veritas enim nullo verborum fuco involuta evidentior exsistit et propria luce fulget. Monumentum hoc temporibus diaetae Wormatiensi anterioribus adscripsimus, tum quia nullum de ipsa diaeta vestigium in ipso apparet, tum quia tantum Constantiensis diaetae facta innuuntur, ipsaequae instructiones tales sunt quae desiderium potius non vocandi ad novam diaetam Lutherum ostendant, quam iam vocati et convicti obstinationem damnent.

Nec parvi momenti sunt epistola a Vicecancellario Aleandro data die 15. Aprilis 1521, sententia marchionis Brandeburgensis, consilium principum imperii de Luthero[1]), relationes Aleandri de privatis Lutheri colloquiis in domo electoris Treverensis, deque lutheranorum consiliis[2]), et Cardinalis Moguntini de statu Germaniae[3]), epistola Adriani VI. ad Archiducem Ferdinandum anno 1522 data circa machinationes lutheranorum[4]). Quamvis unum missum sit ad Nuncium sed non Carlo V. consignatum, et aliud scriptum sed non missum, pretiosa tamen sunt brevia quae sub numero 39 et 152 in nostris monumentis veniunt. Haec autem contra impugnatores Leonis et Clementis faciunt. Instructiones ad Nuncios Apostolicos anno 1524 datae sunt prudentiae et consilii monumentum insigne et non minimum historiae adiutorium[5]).

Quae omnia et alia hic non memorata, apprime historicae veritati inserviunt, et nostra hac aetate, eruendis monumentis

---

1) Docum. 63, 69, 71.
2) Docum. 74, 80, 93, 94 etc.
3) Docum. 107.
4) Docum. 129.
5) Docum. 154.

addictissima, praesidium non modicum criticae arti afferunt: nam saeculis praeteritis turbationes et animorum motus plura obscurarunt, iniustas sententias, et minus aequas conclusiones in vulgus disseminarunt; dissidentibus enim honestius visum monumenta historica ignorare seu corrumpere quam veritatem confiteri eamque generoso animo amplexari; et saeculo XVI. dum hominum cupiditates vehementer accenderentur, sinceritati parum obsequii habitum fuit.

Quod quidem liquido apparet etiam in actis dietae Wormaciensis ubi agitur de Lutheri examine; ille enim illius examinis relationem mutilam edidit qua populum aliquantulum concitavit; nam quum propria verba integre referret, verba Treverensis officialis omnino conticuit; sic enim lectoribus insinuabatur vacua vel nulla omnino Treverensem respondisse quasi veritatis quodammodo splendore obcoecaretur et inspiratis Lutheri verbis tanta vis inesset ut obmutescere adversarius cogeretur. Qua de causa Aleander in suis litteris datis die decimaquinta Maii scribebat: „sum nunc occupatissimus in colligendis actis istius haeresiarchae eiusque examinis; oportet enim ipsos cum authentica nota notarii imprimere, quia populus aliquantum concitatur ob acta quae Martinus suo modo scripsit, treverensis officialis responsionibus omnino omissis[1])".

Nec omnino inutile est aliud contra episcopos mendacium detegere, ab Erasmo prolatum, qui Luthero scripserat eidem favorabilem Leodiensem esse, quum nunquam talem supradictum episcopum se praebuerit, imo in rebus religionis semper constanterque catholicis omnimode faverit[2]). Quod tamen mendacium nihil prorsus extraordinarii praesefert, si consideretur Erasmum tot litteris, tot sermonibus, protestationibus innumeris semper se Romanis Pontificibus addictissimum ostendentem, revera cum Luthero aliquamdiu, cum hostibus Romanae Ecclesiae fere semper, coniunctum secreto fuisse. Quod et ex litteris Aleandri et ex relationibus Eckii non difficile eruitur, et ex consensu ipsorum catholicorum Germaniae diligentique scriptorum ipsius lectione probatur. Sed omnino periculosum erat ipsum aperte accusare; plurimi amici, nonnulli fautores, amplissima apud multos auctoritas ita ut pauci admodum ei in faciem aperte resistere valerent, tanta orthodoxorum animos vi exercebant ut quisque ardentior vix sub secre-

---

[1]) Aleander Vicecanc. 15. Maii 1521. [2]) Ibid. doc. 89. pag. 227.

to Sedi Apostolicae veritatem patefacere de ipso auderet. Testis Eckius ipse, non timidus veritatis amator, qui tamen pontifici anxie scribebat orans atque obtestans ut nulli hominum quae de Erasmo secrete scripserat innotescerent.

Attamen Erasmum maximum Germaniae turbatorem dixerat Aleander[1]); ipsumque Luthero periculosiorem praedicaverat, conquestus non semel Brevia apostolica Erasmo scribi, quibus ille impudenter abusus, doctrinas suas tutabatur, dum eadem scribebat quae iam scripserat Lutherus „circa materiam confessionis, indulgentiarum, excommunicationis, divortii, potestatis Papae, sed cum periculosiore veneno quia Lutherus propter acres et famosos libellos minus erat fide dignus"[2]). Et revera in Hollandia publice Lutheri doctrina praedicabatur sub auctoritate Erasmi, et Saxones ipsi veridicum esse Martinum dictitabant, quia Erasmus cum ipso sentiebat. Flandria universa Erasmi culpa infecta habebatur[3]); dubia de falsitate Bullae Leonis X., deque damnatione Lutheri ubique ab Erasmo disseminabantur[4]). At dum haec Aleander Romanae Ecclesiae Vicecancellario significabat, Erasmus graviter de Aleandro apud Pontificem querebatur eundem ut maledicum et calumniatorem accusans, ita ut Leo graviter commoveretur et Aleander vehementius doleret plus Erasmo fidei dari quam sibi religionis defensori[5]). Leo, eruditorum virorum et elegantissimorum scriptorum in primis amplissime fautor, fortasse et Erasmo plus aequo indulgebat; at virilibus apertisque Aleandri verbis excitatus pristinum favorem aliquantisper imminuens, recentibus eiusdem Erasmi litteris rescripsit gratulabundus de confirmata ipsius fide: „declararunt enim litterae tuae id de quo addubitare aliquantum coeperamus, neque tantum ex quorundam quamvis prudentium et proborum testimonio, quantum ex scriptis nonnullis tuis quae circumferuntur". Nos, ait Pontifex, „paulisper ex ea opinione deturbati valde iucunde accipimus restitutam in nobis esse mentem pristinam diligendi tui"[6]). Tamen dubium in corde Leonis haesit et, Aleandro maiore exhinc fide adhibita, enixe commendatum est, Erasmum suaviter ad viam rectam reducere[7]).

---

1) Doc. 21. pag. 55.
2) Doc. 32. pag. 80.
3) Ibid. pag. 79 et 81.
4) Doc. 36. p. 101.
5) Doc. 36. p. 100.
6) Doc. 53. d. 129.
7) Doc. 117. p. 281.

Quid profuit? De pessimo haeresiarcha Augustinianorum fratrum Antuerpiae priore, Erasmus ipse pronunciaverat: „Prior Augustinianesium Antverpiae solus pene Christum predicat“[1]) et Aleander rursus die 9. Septembris aiebat: „Quod peius his regionibus invenio ex illo est, quem, iuxta Rev. vestrae commendationem, omni modo ad rectam viam adducere debeo[2])“. Cui Vicecancellarius: „De amico qui tantopere occulte nocet, opus est nunc nec videre nec audire, nec suspicionem ostendere, sed ut bonum quod dixit, quodque iterate promisit, accipere“[3]). At quum diebus illis in lucem liber haereticus exisset, quo ignotus auctor probare *Petrum nunquam fuisse Romae*, conabatur, una vox fere fuit auctorem Erasmum indicans. Accidit etiam quod Alander, dum in convivio cum Erasmo sederet, de illo libro locutus, quum calumniosum et mendacem diceret, refertumque erroribus, Roterodamus impetu actus, concitata voce inclamaret, se nullum in ipso mendacium invenisse; libenterque accipere si Aleander vel unum indicare posset. Cui cum Aleander non unum sed plura ostendisset, Erasmus ob confusionem obmutuit. Quae narrans Aleander subiunxit: „compertum sibi Erasmum multa peiora lutheranis scripsisse, sed fuco linita, dissimulata, aptissimeque sub pietatis specie velata; laudes lutheranorum non una vice decantasse; principes et aulicos haereticos ipsum pro duce aperte confirmasse; amicos et proximos illum pro haeretico reputasse“[4]). Quae Erasmus aut sciens aut suspicatus, cum Campegio Cardinali de calumniatoribus suis conquestus, catholicam romanamque propriam fidem profitebatur, non satis modeste scripta sua iactans ceu universalem religiosi morbi medicinam. „Multa scripsi in Lutherum ... multos sanavi iam addictos isti foederi, multos revocavi ne accederent, multos moderatus sum ne nimium accederent“. Sed meriti conscius, dum laudes proprias decantabat, minabatur aperte: „Huius Pontificis ab omnibus praedicata prudentia mihi bonam spem facit, vos nihil odiosius in me decreturos. Quod si fieret eadem opera et Lutheranae factioni rem longe gratissimam facietis, ac pluribus summatibus viris longe molestissimam, quos mihi meis studiis devinxi favore non exambito. Quorum est noster Carolus et in huius aula multi, Rex Angliae, Archiepiscopus Cantuariensis, ut non commemorem tot principes, tot episco-

---

1) Doc. 120. p. 282.
2) Doc. 122. p. 289.
3) Doc. 125. fol. 292.
4) Doc. 126. fol. 294—295.

pos, tot eruditos et honestos viros non solum in Anglia, Flandria et Gallia Germaniaque, verum etiam in Hungaria et Polonia, qui vel se putant debere multum laboribus meis, vel certe me de publicis studiis benemeritum esse"[1]). Quibus simulationibus aliisque artibus tantam de se in Pontificis animum existimationem ingessit, ut Clemens VII. die 3. Aprilis 1524 eidem scripserit; „Quod ad te obtrectationibus liberandum attinet, interposuimus auctoritatem nostram"[2]). Et interposuerat vere, tamen non felici auspicio, quia catholici Germanici Erasmum apprime noverant, quamvis reapse nec lutherani ipsum favoribus prosequerentur sicut antea, nutantem, dubium, variumque agnoscentes. Ipse de imminuto apud lutheranos favore nova apud Romam propitia argumenta captabat: „Jam pridem, aiebat, debaccabantur Lutherani in me furiosis libellis ac famosis picturis; nunc maior etiam fremitus comitatus est, ... nec me clam est quos amicos perdiderim, quos hostes in me provocarim. ... Ego tamen omnia perpeti malo quam isti coniurationi accedere"[3]). Longo etiam tempore Erasmus catholicos fefellit; libros de diversis dogmatibus obscuro involutoque stylo edidit, ad Clementem pontificem obsequentissimas litteras misit, sese pontificiis nunciis commendavit, amplissimisque verbis religiosos animi sensus ostendit: sed catholicis et lutheranis aeque pariterque suspectus semper habitus, optimi quique catholici doctores ipsum periculosum, artificiosum, malum praedicarunt; nec Germanici Clementis VII. praecepto obsequentes se praebuerunt quum Pontifex de illo silentium indixit; quin imo aperte de vaferrimo Ecclesiae hoste conticescere recusarunt.

Erasmi discipuli infestissimi in Aleandrum dialogos et scripta multa ediderant; versus etiam domui Caesaris affixerant quibus pontificius nuncius appellabatur bonarum litterarum transfuga, aulicorum assentator, lubricorum defensor, carnifex, sanctorum librorum ustor. Ubique plurimi erant Lutheri discipuli, inter religiosos viros fere omnes, et ingratissimi quique a Roma promoti omnium pessimi; neque ii scientia sed odio potius in Romam movebantur, causam fidei privatis affectibus confundentes[4]). Non in Germania tantum sed Romae hostes occulti Romanae Ecclesiae iniquis artibus Pontificem oppugnabant, et quidquid secrete in Romana Curia agebatur in

[1]) Doc. 132 fol. 306. 307.
[2]) Doc, 146. iol. 324.
[3]) Doc. 172. fol. 380.
[4]) Docum. 12. fol. 31—33.

Germaniam significabant, ita ut ipsa qua damnatus fuerat Lutherus, Bulla, prius in Germania imprimeretur quam Romae publicaretur, et „nihil ut ait Aleander, nec illic nec istic fieri aut scribi possit, quin citius a germanica parte quam a romana cognoscatur; nam homines Curiae aut servi illorum omnia querentibus germanicis patefaciebant"[1]). Ipsae Aleandri epistolae de Erasmo narrantes Erasmo cito significabantur[2]); nec mirum quum Lutherani palam profiterentur se Romae fautores et exploratores habere non parvi momenti[3]).

„Nefarium novitatis studium, aiebat Albertus Cardinalis Moguntinus Clementi Papae scribens, plerique praeseferunt intrepide, ubique locorum seditionem et conspirationem meditantur, verbis licentissimis maledictis incessunt Sanctitatem Vestram ... Principes, comites, proceres et magistratus urbium Germaniae etsi coram praetendant catholicae unitatis amorem, eminus tamen mirifice novitatibus student instigantque suapte sponte malos. ... Augentur copiae Lutheranorum, iamque rarissimi inveniuntur laici qui candide et simpliciter faveant ecclesiasticis, sed et bona pars sacerdotum facit cum Luthero et plerosque pudet stare a parte Romanae Ecclesiae"[4]).

At quaenam vera origo tanti odii? Amor puritatis doctrinae? Studium evangelii? zelus domus Dei? Ex monumentis nostris longe aliae eruuntur causae; Lutherus iamdiu discipulis suis et Germanicis parum de religionis negotiis eruditis doctrinam suam insinuaverat; ipsam acceperant veramque desideraverant aulici, praecipue qui principes in suam sententiam variis rationibus adducebant; principes ob avaritiam, ob ecclesiasticoram rerum aviditatem, ob cupiditatum libertatem nova dogmata opportuna novis consiliis amplectebantur. Dux Saxo iratus in Romam ob magnam auri copiam solutam pro coadiutoria cuiusdam sui fidelis, imo occulti filii extra matrimonium nati, iram ob inimicitiam in Archiepiscopum Moguntinum augebat)[5]. Casimirus Brandeburgensis, eodem tempore quo ob reservationes fratribus suis marchionibus concessas murmurationes in populo excitabantur, hostis in Romam clamabat quia, „quum caeteri omnes vilissimi officiis et beneficiis referti evaderent, fratres sui nihil obtinerent"[6]). Arm-

[1]) Docum. 12. fol. 34.
[2]) Docum. 14. fol. 40.
[3]) Docum. 179. fol. 398.
[4]) Docum. 107. fol. 267, 268.
[5]) Doc. 12 fol. 29.
[6]) Doc. 31. fol. 74, 75.

storffius de quadam praepositura querebatur, quumque optatum finem adeptus esset, laudes Pontificis praedicabat cuius antea nomen conviciis dehonestaverat[1]); Capito lutheranus pro amico catholicorum se gerebat, praeposituram quandam sperans[2]). Et sic caeteri, quorum aliqui, quamquam a Luthero non alieni, ecclesiae catholicae adhaerebant spe utilitatis, venditantes operam cuique pecuniam solventi. Comites et nobiles Germaniae, duce Ulrico Hutteno, pauperes et violenti sanguinem clericorum sitiebant[3]), principes sitiebant opes[4]), sicut Albertus Brandeburgicus qui equitum theutonicorum provincias in proprium principatum mutare cogitabat, seque e Magistro ordinis in principem saecularem erigere et religiosorum civitates in patrimonia Brandeburgensium vertere[5]).

Non religionis amor sed avaritia et cupido odium pepererant, aluerant, perpetuaverant; nec romana avaritia, sed germanica potius aviditas mala tanta invexit. Non hoc Aleandrum latebat qui aperte confitebatur: „Publica utilitate coactus, quamquam Germanici qui sunt Romae maiores et amici mei sint, non diffiteor vera esse quae de eis hic passim clamantur; ipsos p:tissimam huius tumultus causam praebere. . . . Neque argumentis et factis probavero verum Germanorum iudicium; sed revera tantae derogationes, surrogationes, ingressus, regressus, reservationes, accessus, recessus, et quinquaginta singulis beneficia, aliaque similia de quibus Germani acriter queruntur, omnia impetrata sunt a propriis theutonicis Romae aut per se, aut per patronos, ex quibus deinde Pontifex et Ecclesia ipsa patitur". Et paulo ante supplicaverat ut finis imponeretur illis qui omnia Germaniae beneficia „non contenti infinitis propemodum beneficiis iam occupatis, artibus omnimodis impediebant; inde enim populi materiam Lutheri cum omnibus his rebus miscebant maximo fidei nocumento; Deum et ecclesiam relinquentes ut supradictarum enormitatum ulciscerentur; quae quamvis non ita magnae sint quanto celebrantur, in hoc tamen tumultu arcendae sunt et removendae ne iniquitatibus occasionem praebeant"[6]).

Et populi, ut testatur Joannes Hanerus, „non tam rerum novarum quam libertatis cupidine accenduntur et principum

---

[1]) Doc. 19. fol. 48. et 56. fol. 141. 42. et 25. fol. 62.
[2]) Doc. 19 et 37.
[3]) Doc. 12. fol. 31.
[4]) Doc. 80. fol. 208.
[5]) Doc. 165. fol. 364.
[6]) Docum. 56. fol. 143. — 12. fol. 33.

quorundam studia, quod vel nominis inde perpetuitatem vindicare sibi cupiunt aut certe ultum iri adversus eos quos implacabili odio prosequuntur; civitates quoque huic negotio minime desunt, quod se hac potissimum via a caeteris quoque regum ac imperatorum oneribus excutere sperant"[1]).

Quae cum ita essent, facile a prudentibus hominibus proxima pericula praevidebantur. Hanerus ipse hortabatur: „Caveant principes, caveant et civitates nulla clancularia fieri conventicula, nullas conspirationes; res enim magis factione quam pro veritate agitur". Sed conventicula, sed coniurationes solito apertius exercebantur, odia acuebantur, populares irae incendebantur. Frustra iam a die prima Septembris anni 1521 Julius Cardinalis de Medicis tunc Vicecancellarius Romanae Ecclesiae (deinde Pontifex Clemens VII.) scripserat Aleandro: „Omnibus viribus conamini ut Caesari et principibus ecclesiasticis et saecularibus persuadeatis hic non tantum agi de confusione fidei christianae et catholicae, sed etiam de molienda principibus omnibus ruina eosdem a propriis principatibus et dominiis trudendo; ita ut causa sit vere comunis et pro fide et pro defensione iuris quum nequissimi illi omnes dominationes ecclesiasticas et saeculares evertere conentur"[2]). Aleander ipse paulo post scripserat Eckio: „Nisi Caesar obstet miserandam visuri sumus in Ecclesia Dei calamitatem, sed cum magno et primo Germanorum malo"[3]).

At Caesar non viriliter obstitit; a Germania in Hispaniam discedere coactus, hinc lutherani principes audentiores et segniores catholici quum facti essent, res in peius ruit. Parum faustus Nurembergensis conventus ostendit omnibus, se parvipendere Pontificem et Caesarem; nondum sicco decreti Wormatiensis atramento, ipsius ordinationes vacuae evaserant, spretae a principibus et magistratibus, labefectatae novis dietae Nurembergensis provisionibus; ita ut nuntii pontificis ad Carolum missi eidem imperatori declararent: „Non privato commodo aut propria utilitate in re germanica movetur Pontifex sed tot animarum iactura et damnis; addatur etiam quod quum Caesarem paterno amore diligat, graviter admodum ferret si huius temporibus a grege Dei natio germanica disgregaretur eidem Maiestati imputaretur quod defectu pruden-

---

[1]) Docum. 141. fol. 316, 317. [2]) Docum. 17. fol. 44, 45.
[3]) Doc. 23. fol. 58.

tiae hos suos subditos populos in tantam ruinam ruere permiserit, aut ad bonam frugem reducendos neglexerit ... Pontifex ipse, omnem ad se pertinentem diligentiam adhibuit ne natio haec ad interitum vergeret; omnes videbunt unde debita remedia desint; ipse voluntati Dei obsequens reliquum Christianum gregem sibi commissum gubernabit eritque semper verus Pontifex et bona conscientia nonnisi magnum evadere poterit. Caesarea autem Maiestas longe maiores sustinebit iacturas, si consideretur quod ultra damnum animae et honoris, iacturam quoque temporalium bonorum patietur ipse et successores eius et parentes non in Germania tantum sed et in aliis regnis et dominiis“[1]).

Quae verba prophetica fuere; nam, anno vix elapso, rusticorum tumultus inceperunt, rebelliones, bella, dissensiones perpetuas praenunciantes, quae infinitis propemodum damnis, saeculis succedentibus, Germaniam funestarunt, inenarrabilique luctu submerserunt, tum triginta annorum bellis, tum continuis principum contentionibus, tum labefactata imperii vi, immutataque status natura et nutantibus regiminis vicibus et corruentibus principum fortunis, tum denique necessario ex divisione religionis orta divisione animorum; ita ut saepe Germani Germanis infesti germanica arma in germanica pectora infigerent. „Agnoscent, sic Campegius, quid sit dare plebi libertatem dogmatizandi; dum impune loquuntur actiones parant“[2]). „Per contentionem et invidiam res agitur“ inclamabat temporibus suis Joannes Hanerus; per contentionem et invidiam res acta est et sequentibus saeculis; et quisnam asserere potest etiam hodie quod per contentionem et invidiam res non agatur?

At nunc causae verae, si quae unquam fuerunt, contentionis desierunt; nec avaritia, nec invidia, nec aliorum bonorum aviditas tanta adest; una veritas inquirenda, amplectenda. Abusus, quos primi reformatores tollendos clamabant, si vere abusus erant, iam ab Ecclesia ipsa Romana sublati, repullulare nequeunt; reformatio sancta, pura, a religiosis viris cupita iam est facta ac roborata. Quid plura? Huius verae sanctaeque reformationis petitio iucundissima fuit Clementi VII., qui „postquam ad pastorale officium divina bonitate vocatus fuit, nihil aliud aut cogitavit aut optavit quam in Ecclesia Dei corrigere quae depravata erant et illam in antiquum spendorem

[1]) Doc. 154. fol. 346. [2]) Doc. 199. fol. 436.

purae et verae religionis revocare"[2]); cui „omnis ordinum ecclesiasticorum correctio iampridem desiderata erat"[3]).

Et Clemens et successores eius Romani Pontifices hanc ordinum correctionem, illam Ecclesiae reformationem assiduis laboribus curarunt; sanctissimi quique viri Ecclesiae catholicae invocarunt, adiuvarunt; doctissimi catholici scriptores propugnarunt; populi catholici viderunt; scriptores quoque dissidentes professi sunt et laudarunt. Reformatio haec in aedificationem fuit, et Ecclesia Romana quotidie magis in doctrinis suis, in dogmatibus suis illustrata, iustificata, immobiliter constans, perpetuo aequalis fuit; fidem, quam antiqui tenuerunt, tenet; scorias et lutum in humanis humaniter superpositum abstersit; nullam Christi, nullam Petri, nullam Apostolorum, nullam Patrum doctrinam aut reiecit, aut oblivioni dedit.

Numquid eadem vere et sincere de dissidentium Reformatione dici possunt? Numquid constans haec in doctrinis, numquid aequalis, numquid aedificans? Lutherus ipse quam saepe sententiam mutavit! Melanchton, Oecolampadius Armsdorffius, Huttenus, Erasmus, numquid inter se conveniunt? Numquid eorum fides et doctrina semper eadem stetit? Ecquid, quaeso intactum reliquerunt eorum discipuli? Quid iam de Augustana confessione restat? quid de repetitis semperque variis conciliationis christianae, ut dicebant, tractatibus? Jam nunc fides periit, revelatio deridetur, dogmata reiciuntur, sectae ubique ex hominum sententiis pullulant; nulla unitas, nulla certitudo, constantia nulla. Jam zelus reformationis in ius confusionis evasit. Si nullum Ecclesiae in terris caput supremum est Dei nomine, innumera erunt hominum nomine, et doctrina ipsa Christi pro temporum, locorum, personarum affectionibus vicibusque iure mutabitur. Quid peius, quid exitiosius hac religiosa libertate, quae divinam revelationem quodammodo destruit, quae divini voluminis auctoritate verbum divinum deturpat, immutat, lacerat, confundit?

---

[2]) Doc. 148. fol. 326. [3]) Docum. 149. fol. 328.

1.

Friderico Duci Saxoniae. S[i]. R[i]. Imp[i]. electori

Leo PP. X.[1])

(Acta Wormaciensia fol. 64.)

(8. Julii 1520.)

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Credere volumus nobilitatem tuam nos, et pro natura nostra et pro Pastorali quod gerimus officio, ad lenitatem et mansuetudinem propensos, moleste admodum ferre cum vel unus aliquis ex grege eorum qui sacro perfusi baptismate filii sunt et Dei et nostri, aliquid committat in legem sanctam et scripturas, quo ejici ex ecclesia mereatur; vel cum illo ad sceleris sui vesaniam, et contumatiam et obstinationem addente ad nos necessario defertur severitas vindicandi: Nam et interitum vel minimae ovis ex grege nostro cum dolore ferimus, et poenae animadversio mansuetudini nostrae vehementer est contraria. Itaque Testem Deum omnipotentem et tuam nobilitatem facimus nos jam ab initio cum Martini Lutheri, quem filium amplius nostrum vocare non possumus, primum malivolentia et inaudito quodam in hanc Sanctissimam Sedem totumque nomen Romanum odio prorumpentem temeritatem, deinde usque ad fidei orthodoxae fundamenta convellenda, bonos, et mores et animos corrumpendos, omnemque ordinem Christianae Reipublicae pervertendum provectam insaniam videremus diutius esse passos, quam forsitan pastoralis Curae vigilantia postulabat: sed ea spe esse passos, quod illum ad poenitentiam converti, et tuam nobilitatem non offendi optavimus. Sic enim communi omnium sermone praedicabatur, tibi illum charum acceptumque esse, tuoque illum patrocinio magis confisum quam oportebat,

---

[1]) Diversam omnino epistolam ediderunt impressores operum Lutheri, de qua diximus in praefatione.

hos tantos sibi arrogantiae spiritus sumpsisse. Sed nos qui nobilitatis tuae egregiam virtutem dignam genere et majoribus tuis, quorum singularis semper extitit in christianam fidem et sanctam sedem apostolicam voluntas, etiam in multis contra haereticos et Boemos contentionibus declaratam, quique promissiones tuas plenas Pietatis et constantiae dilecto filio nostro Thomae Cardinali sancti Sixti Nostro tum in Germania Legato et per eum nobis factas memineramus quibus recepisti te hunc hominem laturum, dum eum Sedes apostolica non reprobasset, quod si factum esset te nullum illi amplius favorem praebiturum: Cupiebamus quantum cum Domino licebat, illum et tibi in domesticis et familiaribus esse et cum Deo ac nobiscum in gratiam redire. Itaque testis es ipse, quamdiu illum pertulerimus paternis nunc hortationibus quandoque minis monendo, increpando, interdum et benigne promittendo a tanto eum furore revocare conati. Postquam vero Sathana in eo totum imperium obtinente, nihil profectum est vicitque malum virus superbiae omnem charitatis medicinam, illius cura prope desperata, reliquo nostro dilecto gregi, metuentes ne contagione morbosa pecudis a qua tentatus est, penitus inficeretur, ad acriora remedia duximus accedendum. Convocato igitur venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium aliorumque doctissimorum virorum, item peritissimorum theologorum ac in Sacris Canonibus omnique divina scriptura Eruditorum Concilio, crebris habitis disputationibus, re tota saepe proposita atque discussa, tandem ex innumerabilibus prope hominis hujus erroribus plurimos quidem felle odii in hanc sanctam sedem tinctos, Dei potestati et proborum atque aequorum iudicio dimisimus: qui vero non iam amaritiem sed pestem etiam atque mortem propter acrimoniam veneni piis animabus fidelium afferre possent, eos in decreto nostro, quod supradictorum fratrum nostrorum, et aliorum, qui ei concilio interfuerunt doctissimorum et Catholicorum virorum consilii sententia editum, litteris apostolicis inscribi et bulla plumbea insigniri jussimus, ex ordine perscribi mandavimus partim plane haereticos et fidem rectam pervertentes, partim ita callide et vafre ad bonos et animos et mores contaminandos appositos, ut magna ex his in mentibus simpliciorum cum detrimento Religionis oriatur perturbatio; quarum litterarum exemplum ad tuam nobilitatem deferri praecipimus, illam pa-

terno affectu in Domino hortantes, ut christianissimorum praedecessorum suorum virtutem, quam semper imitata est, nunc in hoc opere maxime Christiano repraesentans, fideique suae et promissi memor, rejicere a sese et a sua gratia (nisi resipiscat, et ad cor redeat humilitatis) pravum hominem, et perniciosum membrum non jam Christi sed Sathanae non postponat, dictasque nostras litteras promulgari, et omnia in eis praescripta ordine debito perfici, ut oriens hoc incendium extinguatur, adiuvet. Haec enim illa est hominis hujus et ejusdem errorum per Sedem Apostolicam in Catholico peritissimorum conventu, Spiritu Sancto praeeunte qui in huiusmodi causis huic Sanctae Sedi nunquam abfuit, facta reprobatio, quam te expectare dixisti; quae tamen antequam fieret, potuisti pro tua prudentia animadvertere quae esset Martini Lutheri mens, quam impia cogitatio: qui primum dum damnatas iamdiu per universalem ecclesiam Waldensium, Hussitanorum et Bohemorum haereses renovare atque instaurare nititur, se ipsum ostendit qualis sit; deinde cum Turcis suffragatur, cum poenas et supplicia haereticorum deplorat, fidem demonstrat se cupere et ab externis et ab intestinis hostibus exterminari catholicam. Postremo in tam effrenem superbiam est elatus ut suam unius auctoritatem, suam sententiam, suum in scripturis intellectum omnibus se antelaturum praedicet et universitatum et sanctorum doctorum et oecumenicorum conciliorum et Romanorum Pontificum decretis, contra professionem humilitatis quam emisit et contra eius beatissimi viri auctoritatem cuius nomen praefert, maximi in Dei Ecclesia doctoris Augustini. Quae cum gravia per se, tum vero postquam huius sanctae et apostolicae sedis accessit declaratio, tuum jam est, dilecte fili, omissa hominum amicitia, eam quae Dei est caeteris rebus anteponere, nobisque praestare fidem et promissionem quam in pignus et signum tuae Christianissimae mentis dedisti; ut extincto sermone hominum qui tua fiducia hunc saepe iam dictum iniquitatis filium Martinum Lutherum furere affirmant, tua excellens virtus ac nobilitas suum debitum splendorem apud Deum hominesque obtineat. Quod ut facias non solum petimus atque obsecramus, sed in nomine etiam Dei omnipotentis et in virtute sanctae obedientiae requirimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VIII. Julii MDXX Pont^s. nostri anno octavo.

2.

Salvus conductus datus Aleandro.

(Acta Wormaciensia fol. 3.)

(20. Julii 1520.)

Leo Episcopus Servus Servorum Dei, Universis et singulis ad quos praesentes pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectum filium Hieronymum Aleandrum Notarium et Bibliothecarium nostrum ob ardua et fidem Catholicam statumque Christianae Ecclesiae concernentia negocia, ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum et Hispaniarum regem Catholicum in Imperatorem electum, et aliquos alios christianos principes Nuncium et oratorem Nostrum mittamus, devotionem vestram et vestrum singulos hortamur, subditis vero nostris et gentium armigerorum capitaneis et ductoribus nec non militibus ad Nostra et S[ae] Romanae Ecclesiae stipendia militantibus, sub indignationis nostrae poena mandamus ut praedictum Hieronymum cum suis comitibus familiaribus et servitoribus, nec non suis Salmis et bulgiis valisiis et rebus aliis per omnes civitates terras pontes passus portus et loca quaelibet tam nostra quam vestra, absque alicuius dacii pedagii gabellae bulletarum portorii fundinavis aut alterius cuiusvis indicti vel indicendi oneris solutione; ire morari transire redireque secure libereque permittatis, nullumque eidem Hieronymo et suis praedictis in persona sive bonis molestiam impedimentum sive damnum quovis modo inferatis seu inferri permittatis; quin imo de itineris securitate viarumque ductoribus, si opus fuerit et requirendum duxerit, ita benigne prompteque provideatis, ut a nobis Sanctaque hac Sede Apostolica possitis merito commendari. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae Millesimo quingentesimo vicesimo; tertiodecimo kal. Augusti. Pontificatus nostri anno octavo.

Bal[ar]. de Piscia.

3.

Leo X. Hieronymo Aleandro.

(Acta Wormae. fol. 3 tergo.)

(16. Julii 1520.)

Leo Episc. Servus Servor. Dei, dilecto filio Hieronymo Aleandro Praeposito Ecclesiae Sancti Joannis Evangelistae

Leodiensis, Notario et familiari, ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum et Hispaniarum Regem Catholicum et Imperatorem electum et Sacri imperii electores caeterosque Germaniae altae et bassae episcopos principes et comunitates Nostro et Apostolicae Sedis Nuncio et oratori, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad nihil aliud nostra aspiret intentio quam ut Christi fidelium animas nostra diligentia Deo lucrifacere possimus, libenter circa hoc operam vigilem adhibemus ut diabolica fraude decepti ad caulam dominicarum ovium revertantur, et si qui animorum perversitate ducti in damnato suo proposito contumaciter persistere maluerint, taliter animadvertatur in illos ut sit eorum paena caeteris in exemplum. Cum multa et varia de novitate dogmatis et scandalosis articulis fratris Martini Luther, ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini in Germania degentis, nobis renunciata essent et quotidie referrentur quae mentem nostram mirum in modum commovebant, tanquam a nostra religione penitus aliena diligentiori examine digna esse censerentur; Nos ne novitas hujusmodi, et ea quae ab ipso in publicum prolata et in scriptis etiam reducta non sine animi nostri displicentia vidimus et legimus, scandalum in populo christiano suaeque et aliorum animabus interitum provocarent, volentes pro nostro pastorali officio salubriter providere, ipsum per alias nostras in forma brevi litteras ut ad nos veniret, ad haec ut ex ore suo veritatem et causam eorum quae publice disputabat et in scriptis redigebat intelligeremus monuimus, cumque id facere recusasset, ac eum non secundum Dei legem per quam obedientia et humilitas precipitur incedere manifestissime constaret; Nos ne error hujusmodi in Ecclesia Dei sub dissimulatione et negligentia, tempore praesertim nostro, pertransire videretur, nonnullis ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus vivae vocis oraculo commissimus ut, adhibitis in Sacra Pagina magistris et aliis viris doctis, ejusdem Martini dicta et scripta diligenter examinarent et deinde in consistorio nostro secreto referrent; quorum relatione audita et saepius mature discussa, complures articulos ex eius scriptis extractos de eorundem Cardinalium consilio damnavimus, istumque Martinum sub poenis tunc expressis monuimus ut infra certum tempus tunc expressum errores suos recognosceret et ad solitae veritatis viam reverteretur, et quae in eius scriptis

temere et impie prolata perturbationum causa in Ecclesia fuerant, consulte ac prudenter ut christianum decet revocaret, alioquin ut haereticus ab omnibus vitari et puniri deberet, prout in nostris, in quibus voluimus quod litterae ipsae in certis ecclesiis publicari deberent, plenius continetur. Volentes igitur ut litterae nostrae praedictae in illis partibus fideliter publicentur et in eis contenta executioni debitae demandentur, ac sumentes in tua prudentia in arduis comprobata et persona tua quamplurimis virtutibus insignita fidutiam in Deo specialem, te cum benedictione illius cujus vices in terris gerimus et qui curam gregis sui nobis committere dignatus est, ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum et Hispaniarum regem catholicum in Imperatorem electum et Sacri Imperii electores omnesque Germaniae Bassae et altae episcopos principes barones comunitates et universos praelatos et ad alia loca ad quae te declinare contigerit, Nuntium et oratorem nostrum mittimus, injungentes tibi ut Carolo regi et electoribus ac aliis principibus et praelatis praefatis nostro nomine praedictum contra Martinum editum et alias credentiales litteras nostras patentes ac nostram mentem illis communices quemadmodum propensa est ad fidei catholicae causam defendendam, eorumque auxilia ad hanc piam et necessariam Dei causam implores persuadeasque, et rationibus tibi notis indutus, ac cordium suorum fores assidue pulsare non desistas ut Martinum ipsum hortari velint ut cognita veritate ad rectam semitam tandem redeat et hujus Sanctae Sedis mandatis pareat. Quod si fecerit, verbi Salvatoris nostri memores, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, et quod angeli magis gaudent de uno peccatore ad poenitentiam redeunte quam de centum justis, qui et alibi monet habentem centum oves si unam ex illis perdiderit dimittendas esse nonaginta novem in deserto et ire ad illam quae perierat donec invenerit eam, eundem Martinum ad gratiam ut charum filium recipiemus, ipsumque honoribus recognoscemus; si vero, quod absit, eorum et nostra monita exequi neglexerit, omnem opem et operam impendere et adhibere, teque pro viribus juvare velint ut, ejus temeritate depressa, adversus tam pestiferum hominem mandata nostra exequi valeas, cupientes et tantam labem ex partibus illis eradicari, et ea infectos corrigi ac errores hujusmodi extirpari, et opportuna remedia adhiberi, antequam

pestifera radix pestilentissimos ramos et palmites producat et ulterius serpat. Omnes et singulos partium predictarum utriusque sexus cujuscumque status nobilitatis et condictionis existant in hujusmodi haeresim et errores dicti Martini prolapsos et in poenas in dictis litteris contentas incursos, qui errores suos sponte confitentes haeresim objurare, et ad veram fidem Catholicam converti voluerint, si hoc humiliter petierint ad hujusmodi, et aliis eorum excessibus etiam haeresim sapientibus, et poenis predictis, prestito tamen prius per eos corporali Juramento quod similia de coetero non committent, nec ea committentibus prestabunt auxilium, Consilium et favorem, nec non ab aliis eorum peccatis, dummodo non sint talia propter quae sedes Apostolica foret merito consulenda, auctoritate nostra, semel dumtaxat pro quolibet eorum, iniuncta etiam eis pro modo Culpae penitentia salutari, et aliis quae de iure fuerint injungenda, absolvendi, nec non eos ad famam et honores pristinos, abolita prius infamia, restituendi et ponendi. Contra illos vero qui talibus erroribus contumaciter persistere voluerint auctoritate nostra, prout juris fuerit, procedendi, ipsosque corrigendi castigandi et puniendi, et Curia saeculari tradendi, ac alia nostra et singula quae hereticae pravitatis inquisitores, de jure vel consuetudine facere possent, et deberent, faciendi gerendi et exequendi. Et quia complures libri articulos alias conciliariter damnatos continentes ac nostro et hujus Sanctae Sedis honori detrahentes contra Decretum moderni lateranensis Concilii in ipsa Germania impressi fuerunt, libros hujusmodi in officii et dignitatis nostrae ac Dictae Sedis depressionem temere loquentes, publice ac palam comburi faciendi et contra eorumdem librorum auctores procedendi, plenam et liberam Auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibisvis privilegiis indultis et litteris Apostolicis, quibusvis in genere vel in specie concessis, quorumcumque tenorum fuerint, quae quoad premissa eis nolumus suffragari, Ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Domini Millesimo quingentesimo vicesimo; Decimo septimo kal. Augusti, Pontificatus nostri anno octavo.

4.

Instructio pro Domino Hieronymo Aleandro.

(Acta Wormac. fol. 7.)

Primo advertatis ne inter vos et dominum Joannem Echium exoriatur aliqua discordia, qua hoc sanctum opus vobis commissum perturbetur, aut aliquo modo impediatur; cum sanctissima charitate ac benevolentia omnia accuratissime pertractabitis: Nam S^mus^ D. N. utrumque aequaliter diligit, et remunerare paratus est.

Secundo necesse est, ut habeatis Bullam in qua creemini Prothonotarius Nuntius apostolicus et specialis inquisitor ad reprimendum Martinum ac ejus sequaces cum potestate inventos culpabiles, aut errores in bulla damnatos quomodo libet praedicantes asserentes seu defendentes seu disputantes publice vel occulte, carcerandi, puniendi etiam ultimo supplicio et tradendi Curiae saeculari, ac invocandi brachium sive auxilium cujuslibet Principis vel domini tam ecclesiastici quam saecularis, et cum facultate declarandi eos incidisse in Bullam, et haec omnia post publicationem bullae et lapsum termini in ea contenti.

Tertio, quia negocium hujusmodi est grande et laboriosum, et multa incumbunt in diversis locis peragenda, necesse videtur ut partiamini ad invicem labores vestros: Vos igitur Domine Hieronyme ibitis ad Curiam Caesaris recto tramite, et ibi praesentabitis bullam plumbatam ejus M^ti^, suadebitisque ut tam pernitiosae pesti obviare velit praesertim in initio suae advocationis et susceptae defensionis pro sancta Romana Ecclesia quo nihil gloriosius posset facere, ostendendo M^ti^ suae qualiter S^mus^ D. N. et sedes Apostolica non ad fovendas contentiones nec rixas, sed ad sedandas et extinguendas haereses mature processit, et communicatis omnibus erroribus seu articulis in bulla contentis cum s^tae^ Ro. Eccl. Cardinalibus ac multis aliis doctissimis viris Ro. Curiae illos damnavit, et propterea cum fecerit quod sui officii est, petit brachium potentiae M^tis^ suae cujus officium est haereticos ante omnia extirpare, atque ideo juxta apostolicum gladium portat, ut malis hominibus purget Ecclesiam Dei et nitamini impetrare litteras ab ejus M^te^ ad omnes Germaniae Principes tam saeculares quam ecclesiasticos,

hortatorias, ut velint adjuvare ad executionem bullae et omnia in ea contentorum et prout videbitur melius expedire, quarum forma prudentiae vestrae relinquitur. Aliam vero bullam plumbatam poteritis ei Principi vel domino presentare cui magis videbitur vobis expedire, dando copias multas omnibus volentibus illas habere, praesertim Metropolitanis, hortando illos ut eas mittant ad suos suffraganeos, et ad Monasteria et collegiatas ecclesias, publicandas et legendas juxta formam bullae, necnon alias multas mittant ad alios metropolitanos hortando illos ut similiter mittant ad suos suffraganeos et aliis metropolitanis successive publicandas et legendas, ita ut perveniant ad omnes diocaeses et ecclesias Germaniae.

Quarto adhibitis tam Leodiensem quam alios Praelatos et dominos in Curia exercentes, et facietis illos quantum erit possibile favorabiles huic sancto operi.

Quintus, si Martinus per se vel alium ex fautoribus ut adhaerentibus suis vellet se justificare et petere se audiri in Curia Caesaree Majestatis respondebitis jam sibi fuisse per S^m^ D. N. oblatum salvum conductum ut veniret ad Romanam Curiam et Sedem apostolicam ubi causae haeresum de jure tractari et diffiniri debent, praesertimque postquam Sanctissimus D^nus^ N. apposuit manum et condemnavit hujusmodi errores, quae gesta per suam sanctitatem si alibi examinarentur esset contra omnem justitiam et divinam et humanam, et si Martinus vellet hodie ad romanam Curiam venire et ibi audiri, paratus est S^mus^ D. N. juxta formam bullae dare sibi plenissimum salvum conductum, et libentissimè eum audire.

Sexto scribatur S^mo^ D. N. cito et sigillatim quecumque facietis ut pro tempore possit remedium afferre: et domino Joanni Echio de his que necessaria videbuntur pro publicatione et executione bullarum ei commissarum, ut sit bono ad expediendum omnia, et si contingeret vos conferri ad loca cum ipso Domino Joanne, pro hujusmodi publicatione nihil facietis preter sententiam et consensum ejus, et similiter si contingeret ipso Domino Joanne accedere ad Curiam Caesaris nihil ipse faciet nec attemptabit sine consilio vestro.

Ultimo hortabimini tam Caesaream Majestatem quam omnes Principes ut post publicationem bullae et lapsum termini in ea contenti Martinus capiatur, et ut vinctus ducatur ad Curiam Romanam ut condigna poena puniatur, aut saltem ipse sequa-

cesque sui quos possitis, vigore facultatis inquisitionis vobis commisse specialiter nominare et declarare, ut similiter puniantur vel saltem expellantur ex tota Germania prout conducibilius existimabitis, similiter procedendo ut vobis videbitur expedire contra universitates et collegia quaecumque hujusmodi erroribus faventia, specialiter declarando ea incidisse in penas bullae. Moderanda tamen haec omnia vobis per locorum et temporum ratione relinquimus.

Item, cum didicerimus per chalcographos, libros seminari famosos et injuriosos, ac haereseos plenos, ideo locorum ordinariis bullam constitutionis Lateranensis Concilii super hoc insinuetis, eis ex commissione vobis facta a sede apostolica injungentes ut eam exequantur et vobis auxilio sint, libros Hussiticos impressos comburendi, et alios, scriptos contra fidei veritatem ac sedis apostolicae dignitatem, sicut est Hutteni epistola prefixa libro cujusdam scismatici, Trias et similia.

Idem ubi nuntius noster erit, omnia vobis per nos commissa communicabitis, et ea communi consilio et consensu expedietis.

Reliqua suppleat Prudentia vestra, in qua S^mus^ D. N. confidit.

Evangelista.

5.

Julius de Medicis vicecancellarius Hier. Aleandro.

(Nunciat. Germaniae vol. L. fol. 4—5.)

(Ex urbe 3. Dec. 1520.)

Reverende Pater amice mi praecipue!

Le lettere vostre de X. del passato a Nostro Signore et a noi hanno portato summo piacere, che per quelle si è conosciuto quanta sia stata l' osservantia et fede di tanti Segnori et di tutta quella Natione religiosissima verso la Sede Apostolica contra quel novo Ario, over Maumeth che Iddio lo riduchi a sanità. Nostro Signore certo commenda assai il studio et fede vostra, et in questa cosa resta fin qui di voi soddisfatto a pieno, che noi ne sentimo gran contento; seguitate con prudentia et modestia, persuadendovi che in Celo et in terra sarete remunerato. Danari vi saranno rimessi subito et non dubitate vi si lasci mancare cosa necessaria over espe-

diente alla impresa; in somma nè al commodo nè all' honor vostro Nostro Signore è per restringersi. Non li è gia così piaciuto intendere che voi in faccia del Protonotario Caracciolo principal Nuntio usiate le facultà, che Sua Beatitudine vi ha concesso, non essendo stato questo l' animo di Nostro Signore; però vi diremo da sua parte vi abstegniate di usarle per l' avenire in presentia di detto Nuntio et appresso otto giornate, se voi havete cara la gratia di Sua Santità, et anche la benivolentia nostra, perchè in vero quando altro faceste non vi si comporterebbe, ma semo certi che non uscirete i termini della solita modestia vostra et così ci sarete ogni hor più accetto, come noi desideriamo.

La Bolla sopra il negotio Hallense essendo il Reverendissimo Monsignor Magontino tanto devoto di Nostro Signore et della Sede Apostolica, come il Caracciolo et voi fate fede, et noi per longa esperientia havemo già conosciuto et predicatolo sempre a Nostro Signore, sua Santita è contenta se gli dia, et così voi che l'havete in mano la consignarete a sua Reverendissima Signoria, dicendoli Nostro Signore rimettere il tutto alla sua conscientia nella quale assai confida et a lei di buon cuore et humillime ne raccomandarete, offerendocci in tutto et per tutto, et voi così di questo come della principal vostra impresa ne terrete avisati spesso, et basteravi scrivere a Noi sanza vi affatichiate in scrivère anche a Nostro Signore, alla cui Santità communichiamo et damo a leggere tutte le vostre. State sano et tenetecci in bona gratia del Reverendissimo Monsignor di Lieggi.

Da Roma alli III. di Decembre MDXX.

Uti frater Vice Cancellarius.

6.

Protestatio universitatis viennensis.

(**Acta Wormac. fol. 70.**)

(Viennae 10. Dec. 1520.)

Rector et Universitas Viennae Austriacae.

Devotissimas ad Deum optimum maximum preces paratissimumque et humillimum obsequendi animum, gloriosissime et invictissime Caesar princeps et Domine Domine nobis gratiosissime; Cum superioribus diebus per quendam Doctorem

Joannem Echium licteris apostolicis ad procedendum juxta modum et formam in eisdem licteris contentis contra et adversus quendam fratrem Martinum Luther et ejus scripta fuissemus requisiti, nec non nobis sine consensu, certa scientia, voluntate decreto et mandato vestrae Caesaree et Catholice Majestatis uti principis et fundatoris nostri procedere in tam arduo negocio licuit: Quare causam ipsam ad Caesareae et Catholicae Majestatis Vestrae noticiam devolvendam duximus et illius occasione protestationem solemnem fecimus et interposuimus copiasque ejusdem ad Vestram Caesaream et Catholicam Majestatem transmittimus, humiliter eandem vestram Caesaream et Catholicam Majestatem desuper devotis precibus petentes, dignetur de mente et intentione vestrae Caesareae ac Catholicae Majestatis nos certiores efficere, quid ad tantam exquisitionem nobis agendum veniat. Noluimus enim in tanto rerum discrimine ex causis et motivis in eadem protestatione deductis vestram Caesaream et Catholicam Majestatem preteriri, neque illius occasione Majestatis vestrae indignationen incidere, sed voluntatem mentem et decisionem ejusdem Majestatis vestrae expectare: Cui nos omnemque operam nostram devovemus subicimus et humillime uti principi et fundatori nostro clementissimo commendamus.

Datum Viennae die lunae decima decembris Anno Domini Vicesimo. Sic subscriptum Vestrae Caesareae et Catholicae Majestatis humiles Capellani, Rector, Doctores et Magistri Universitatis Viennae. — *In dorso litterarum:* Gloriosissimo Illustrissimo et invictissimo principi et Domino Domino Carolo Romanorum Imperatori ac Hispaniarum utriusque Siciliae et Jherusalem Regi Archiduci austrie et Domino nostro gratiosissimo.

In Nomine Domini Anno a Nativitate ejusdem millesimo quingentesimo vigesimo, indictione octava, die vero lunae quae erat decima mensis Decembris hora octava ante meridiem pontificatus sanctissimi in Christo patris et Domini nostri Domini Leonis divina providentia Papae decimi anno octavo: Magnificus ac Egregius Vir Joannes Ubeulhe Heirser Artium et saluberrimae medicinae Doctor, Universitatis studii Viennae rector, Decani, procuratores, Consiliarii, et assessores dictam universitatem repraesentantes: In mei Notarii publici et testium infrascriptorum presentia ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum personaliter constituti, in solita dicti Domini Rectoris

residentia ubi clarissimus ac egregius Vir Andreas Harer Artium et Juris utriusque Doctor in manibus suis tenens quendam papiri schedam animo et intentione protestandi super negocio in dicta protestationis scheda comprehenso, quam quidem schedam dictus Dominus doctor Andreas de mandato dictorum Dominorum Rectoris Magnifici, Decanorum, procuratorum, consiliariorum et assessorum predictorum, coram me notario et testibus infrascriptis publice et alta voce et intelligibili legit, cujus tenor sequitur in haec verba: Nos Joannes Ubeulhe Heirser artium et saluberrimae medicinae doctor ac almae Universitatis studii Viennae Rector, Nosque Decani procuratores Consiliarii et assessores dictam Universitatem representantes nomine, vice, ac de commissione totius universitatis et singularum personarum et membrorum ejusdem coram vobis Notario publico et testibus presentibus infra notata deducimus et protestamur: Quum nuper per quendam Joannem Echium Theologum ut videbatur certae litterae missivae ad nos et universitatem predictam negocium Domini Martini Lutheri tangentes missae fuissent: Nos Rector ante nominatus ut debebamus literas prenominatas ad quattuor facultates transmisimus quae omnes et singulae negocium mature et digeste deliberantes singula vota sua juxta universitatis consuetudinem attulerunt: Nos itaque Rector praefatus, visis facultatum votis, aperte invenimus tres facultates concordi voto rem tam arduam causis moventibus suspendendam fore; considerat namque universitas esse in Germania Reverendissimum D. Archiepiscopum Maguntinensis Ecclesiae qui ut primas Germaniae extitit et Cardinalis a latere pontificis romani: Similiter Reverendissimum patrem et Dominum Archiepiscopum Saltzpurgensis Ecclesiae pariter a latere pontificis summi existentem: tacemus nunc de reliquis Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Principibus, universitatibus, communitatibus ubilibet per Germaniam constitutis ad quos omnes procul dubio hujusmodi tansumpta bullae Apostolicae pervenerunt, qui huc usque non publicaverunt, nec opuscula Lutheri igni tradiderunt: praeterea cum universitas famosissima studii parisiensis quae nostra mater est, ad cujus instar nostram universitaten fundatam esse litterae fundationis aperte docent, quae denique parisiensis universitas per Martinum Lutherum et Joannem Echium in disputatione lipsiensi suarum dissensionum Judex electa usque in presens

non damnavit. Et super haec omnia in prefata bulla omnes receptatores defensores fautores etc. Lutheri quasi damnati videntur: Sicut autem veridica relatione ad nos deductum est quod idem Lutherus in Curia invictissimi et sacratissimi Domini Domini Caroli Caesaris potentissimi Domini et fundatoris nostri clementissimi his diebus fuerit vel degit, de cuius invictissimi principis consilio sunt quamplures Archiepiscopi, Episcopi, Prelati, Doctores et omnifariam experti, ibique nihil dignum morte aut infamia eidem Luthero actum esse, ne in praedicti domini principis nostri jacturam agere videamur nobis nequaquam licere precipitanter eiusdem principis nostri mente non habita procedere: Et quod idem Joannes Echius Nuncium se asserit apostolicum, de cujus commissione de notarii quoque et prelati qui transumptum transmissum ad nos ut asseritur munierunt legalitatibus, nihil constat. Quum itaque nos Rector prefatus in consistorio nostro pro pluralitate votorum concluserimus ob reverentiam Illustrissimi et Invictissimi principis et Domini nostri Domini Caroli Romanorum Imperatoris et Domini Ferdinandi Archiducum Austriae fundatorum et Dominorum nostrorum clementissimorum ac omnium Cardinalium Archiepiscoporum Praelatorum ac temporalium principum totius Germaniae ne et ipsi macula ex eadem bulla ut asseritur aut fulmen sentiant, ac ob alias causas et ad evitandos tumultus, clamores populi, seditiones quae per publicationem et executionem nostram ut timendum est contra clerum insurgere possent, negocium ad tempus fore differendum: sperantes si Sedes Apostolica de his nostris motivis rationabilibus fuerit plenius informata nullam indignationem suae sanctitatis nos contracturos: decanus vero et magistri Theologiae, postposita ordinatione statutis privilegiis et consuetudinibus universitatis, se et suam facultatem a nobis et universitate predicta diviserunt et declinaverunt pro ut in alio processu contra eosdem Theologos forsan emanando plenius continebitur. Ne igitur jam dicti Theologi vel quicumque alter nunc aut in futurum nobis et universitati prefatae publice vel occulte impingere possent nos et universitatem fuisse esse aut fore haeresum errorum aut perversorum dogmatum receptores defensores aut promotores, nostri et universitatis nomine ac omnium et singularum personarum nobis et praedictae universitati suppositarum et obedientium nominibus, melioribus via jure et forma

quibus possumus aut debemus, nunquam fuisse esse aut fore de mente et intentione nostra vel alicujus nostri vel consentire, defendere, recipere aut promovere quoscumque errores haereses aut perversa dogmata que contra fidem catholicam, sanctam Matrem Ecclesiam ut ejusdem fidei articulos aut evangelium militarent, sed semper contra haereticos perversos doctores et errantes summis viribus laborare fidem Christianam defendere usque ad sanguinis si oportuerit effussionem. Rogamus itaque Nos Rector Decani procuratores consiliarii et assessores antedicti et nominibus quibus supra, per vos notarium publicum super hac nostra protestatione confici in signum verae et integrae fidei nostrae, unum vel plura quot quot fuerint necessaria, instrumenta publica: Lecta itaque per Dominum Doctorem Andream prefatae protestationis papiri scheda, magnificus Dominus Rector, Decani procuratores consiliarii et assessores antedicti sibi a me notario infrascripto unum vel plura instrumentum seu instrumenta fieri petierunt — Acta sunt haec Viennae Anno indictione, die, mense, pontificatus, et loco quibus super presentibus ibidem honorabilibus et providis viris Uldalrico Berhucho-Wolffgango Henle, Luca Alantsc et Wolffgango Mongolt civibus Viennensibus testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Joannes Favorinus alias gniti shoffec clericus pataviensis diocesis sacra imperiali authoritate notarius; quia dictae schedae lectioni protestationi omnibusque aliis et singulis, dum sic ut premittitur fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus interfui: eaque sic fieri vidi et audivi ac in notam sumpsi: ideo hoc praesens publicum protestationis instrumentum manu mea propria fideliter scriptum ex inde confeci, subscripsi et publicavi et in hanc formam publicam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi, in fidem robur et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

7.

Responsio Caroli V.

(Acta Wormac. fol. 72.)

(Martio 1521.)

Et si non displicuit nobis, quod ex litteris vestris percepimus ob Majestatis nostrae reverentiam, eatenus vos suspendisse executionem Apostolicae bullae contra pernitiosos libros fratris Martini Lutheri editae, donec de mente et decreto nostro certiores redderemini; Nihilo tamen minus gratum nobis fuisset, si, facta vobis legitime insinuatione predictae bullae, quem ad modum ab universitatis vestrae theologica facultate, cui in his causis merito primae debetur, factum esse vestrae licterae faciunt fidem, ita et vos alii suprascriptos libros, magnarum in Ecclesia dei seditionum, et periculorum fomites, debito igni cremandos curassetis, et populum ut ab illis sibi plurimum caveret monuissetis. Quod profecto jure bono citraque alicujus notae periculum a vobis fieri potuit, primum quia quoties de religione agitur romanum pontificem sanctamque Sedem Apostolicam convenit judicare: deinde quia non fit verisimile ad vestras jam tum aures non pervenisse in nostris tam inferioribus dominiis, quam Coloniae, Treveris, Moguntiae aliisque Germaniae locis authoritate Apostolica, et nostro Caesareo decreto antedictos, et alios famosos libros publico et debito incendio fuisse absumptos; postremo quia, cum ista vestra universitas non solum optimae eruditionis, sed et christianae pietatis fecunda parens semper fuerit, facile poteratis cognoscere Lutheri et alia lutheranorum scripta, a charitate et ritu a nostris majoribus tradito discedentia, plurimum mali in Ecclesia Dei jam peperisse, et nisi provideatur, in posterum peius esse paritura. Verum quia persuasi sumus nullam aliam ob causam istam cunctationem factam quam ut Majestati nostrae quae istius universitatis fundatrix et protectrix est, debitum honorem exhiberetis, non possumus non commendare istum animum, devotionemque in nos vestram: si modo quum primum has licteras mentis nostrae indices, et universalis decreti nostri instar futuras acceperitis: eas in publicis totius universitatis nostrae comitiis legi, et Lutheri pestilentes libros omnes jam ab apostolica sede damnatos, omniaque quorumvis in Summum pontificem, et sedem apostolicam, honestasque personas famosa scripta damnata et prohi-

bita esse publicari, et, servato ordine in licteris servari solito, publico igni comburi procurabitis: in quo rem debitam et nobis in primis gratam facietis, atque ne secus faciatis, non imperiali modo, sed et Archiducali nostro jure vobis praecipimus, et mandamus. Volumus enim vos et omnes alios scire nos pro imperialis dignitatis officio, et nostra etiam natura in primis curaturos, non solum ne sancta Sedes Apostolica, et universalis Ecclesia, tempore presertim nostro, aliquod schisma aut detrimentum patiatur: sed et ut in summà pace tranquillitate, et unione degat, floreat, et propagetur, summa ope enixuros:

Bene valete. Datum Wormac.

8.

Leo X. nuntiis in Germania.

(Leon. X. Reg. N°. 1164. fol. 74 tergo.)

(3. Jan. 1521.)

Leo etc. Dilectis filiis Alberto tit. sancti Grisogoni presbytero Cardinali Maguntino et Marino Carraciolo ac Hieronimo Aleandro necnon Johanni Eccio Notariis et nunciis nostris respective. Salutem etc. Apostolice Sedis providentia circumspecta contra eos qui heretice pravitatis sunt labe respersi et quorum nequitia serpit ut cancer, ne in aliorum perniciem sua venena diffundant sed in eorum versutiis et pravis conatibus compescantur libenter intendit, et prout expedire cognoscit remedia adhibet opportuna. Cum alias false fidei cultores vanam mundi gloriam querentes nonnullos errores hereticos seu scandalosos aut piarum aurium offensivos in inclita natione germanica seminassent, Nos prout nostro pastorali incumbit officio habita super hiis cum fratribus nostris et nonnullis sacre Theologie et utriusque Juris professoribus matura deliberatione, illos de eorumdem fratrum consilio tanquam falsos et hereticos seu scandalosos aut piarum aurium offensivos merito damnavimus et reprobavimus, ac omnibus Christi fidelibus sub certis penis tunc expressis mandavimus ne errores ipsos predicare seu defendere presumerent. Et quia errores ipsi seu eorum aliqui in libellis cuiusdam Martini Lutheri reperiebantur, libellos ipsos etiam damnavimus ac eisdem Christifidelibus sub eis-

dem penis mandavimus ne libellos ipsos legere presumerent sed illos comburerent seu comburi facerent, ipsique Martino etiam inhibuimus ut a predicatione desisteret, ipsumque et ei adherentes ac eius receptatores sub similibus penis monuimus eisque precipiendo mandavimus ut infra sexaginta dies a prefatis erroribus eorumque publicatione et defensione desisterent et libros ipsos comburerent seu comburi facerent, ipseque Martinus errores ipsos revocaret et de revocatione ipsorum certiores nos faceret, et nisi id infra dictum terminum faceret eum et illi adherentes ac fautores notorios et pertinaces hereticos fuisse et esse declarantes eosdem ut tales condempnavimus ac eos ab omnibus Christifidelibus pro talibus haberi voluimus atque mandavimus eosque penis contra tales a jure inflictis subiecimus et eisdem irretitos esse per quasdam sub plumbo decrevimus et declaravimus, ac per alias nostras in forma brevis litteras circumspectionem tuam, Alberte Cardinalis, hortati fuimus ut litteras predictas in ambabus tuis Metropolitanis Maguntina et Magdeburgensi ac ceteris omnibus suffraganeorum et Episcopatuum tuorum ecclesiis publicandas, easque populis inter divina declarandas ac post publicationem et declarationem huiusmodi eumdem Martinum cum suis sequacibus si pertinaciter perseverarent in errore ab omnibus vitandum vel etiam capiendum curares et studeres, Nunciisque nostris ab hac sancta sede ad hoc negocium destinatis omnem et consilii favorem et auxilii curam impenderes prout in singulis litteris predictis plenius continetur. Cum nuper autem, non sine gravi animi nostri molestia et mentis perturbatione, acceperimus quod ipse Martinus iniquitatis filius in reprobum sensum ymmo vero in insaniam versus non solum errores suos predictos revocare et mandatis nostris parere contempsit atque neglexit, verum etiam complures alios libellos boemiam heresim professus prioribus peiores contra nostrum et dicte sedis honorem edere et publicare non erubuit, et operante Satore zizanie, pestiferum virus suum in dies magis evomens multorum simplicium animas sub pretextu simulate veritatis decipere non desistit, illas eterno satagens igni transmittere consumendas, et quidam Willibaldus brechhaymer et Ulricus de huten ac Johannes Spengler Scriba Senatus Noribergensis eius insanie adherentes ac eius scripta magnificantes, non minus impendere et facere nituntur, Nos quia veneno heresique nefarie et labi

pestifere quocumque possumus remedio salutari occurrere cupientes, et ne huiusmodi morbus pestilens excrescat ulterius sed cooperante domino radicitus evellatur, salubriter providere volentes, ac sperantes quod circumspectio tua Alberte, memor galeri istius rubei quem gestas significare ut pro fidei Christi honore sanguinem effundere non dubites, per tue sollicitudinis studium labem huiusmodi extirpare et ortodoxae fidei fructuosos palmites plantare pro tua virili conaberis. De tua igitur circumspectione prudentia ac singulari doctrina rerumque experientia, necnon in nos et sedem apostolicam devotione et fide fiduciam habentes, te contra hanc ut premittitur heresim labem et pestem ac in ea quomodolibet culpabiles existentes generalem in tota germania inquisitorem heretice pravitatis huiusmodi facimus constituimus creamus et deputamus, cum plenis facultatibus et potestate que in similibus a Jure conceduntur ac aliis infradicendis necnon tibi et vobis nunciis ac notariis prefatis et vestrum cuilibet contra eosdem M. W. Ul. et La Jo. (sic) ac alios quos hereticos fore et esse per alias nostras litteras declaravimus et in litterarum declarationis huiusmodi publicatione nominari posse voluimus, eorumque adherentes complices et fautores atque receptatores cuiuscumque status gradus ordinis conditionis vel preminentie etiam si imperii electores, et communitates universitates et municipia fuerint, ubicunque locorum eos esse compereritis agendi procedendi eosque capiendi ac carceribus mancipandi et iuxta canonicas Sanctiones et sanctorum patrum instituta prout cuiusque qualitas delicti exegerit puniendi et brachium seculare et Imperiale, si opus fuerit, contra eosdem invocandi necnon ad veritatis lumen redire et huiusmodi heresim abiurare volentes si alias relapsi non fuerint, recepta ab eis prima abiuratione heresis et errorum huiusmodi legitime et publice facienda prestitoque, per eos Juramento quod talia deinceps non committent, nec talia vel alias hiis similia committentibus seu adherentibus auxilium consilium vel favorem per se vel alium seu alios prestabunt et alias in forma ecclesie consueta, exceptis tamen Mar. Wi. et Ulrico et Jo. predictis; quorum et cuiuslibet eorum tamquam magis notorie culpabilium absolutionem, si eam humiliter et in forma Juris petere voluerint, nobis et sedi apostolice specialiter et expresse reservamus absolvendi et ad nostrum et eiusdem sedis gremium necnon gra-

tiam et benedictionem predicte sedis restituendi et reponendi ac bona etiam quecumque mobilia vel immobilia hereticorum predictorum si in pertinacia sua persistere maluerint quibus cumque legitime accipienda concedendi et dandi ac ea que heretici ipsi ad quevis loca ducerent seu duci facerent in predam dandi, omnibus quoque ad servitia M. W. Ul. et Jo. damnatorum et hereticorum huiusmodi ubilibet existentibus ut infra terminum per vos prefigendum discedant sub eisdem penis quibus ipsi M. V. Ul. et Jo. necnon alii heretici et dampnati predicti irretiti sunt mandandi illosque ac ecclesiasticos et seculares quoscumque, cuiuscumque dignitatis etatis litterature sexus vel ordinis existant sub excommunicationis suspensionis et interdicti ac etiam privationis penis auctoritate apostolica per edictum monendi et requirendi ut mandatis apostolicis reverenter intendant et obediant, ac ab omni commercio M. W. Ul. et Jo. ac aliis hereticis prefatis qualitercunque tenerentur vel obligati essent ad aliqua illis tenenda servanda aut persolvenda nullatenus deinceps obligatos esse nec ad ea posse compelli eadem auctoritate declarandi, ac propter inobedientiam et rebellionem quoscumque cuiusvis dignitatis, Archiepiscopali episcopali et abbatiali dumtaxat exceptis, status gradus ordinis vel preeminentie fuerint si ecclesiastice persone ecclesiasticis dignitatibus officiis et beneficiis, si vero seculares honoribus titulis feudis privilegiis suis privandi et beneficia aliis idoneis conferendi et ad ea vel alia imposterum obtinenda inhabiles perpetuo et infames declarandi, necnon censuras quascunque justitia rebellione vel inobedientia exigente prout vobis videbitur fulminandi et interdictum ponendi, ac positum ex bonis causis et respectibus sicut expedire vel utile aut necessarium esse cognoveritis ad tempus suspendendi vel perpetuo tollendi, necnon contra impedientes et perturbantes huius vestri salutaris negotii executionem summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura judicii sola veritate inspecta procedendi ac penitentes et reverti vollentes ad gremium ecclesie, si id humiliter petierint, exceptis supradictis in forma predicta absolvendi et habilitandi ad honoresque dignitates officia beneficia feuda bona ac jura sua omnia aliasque in pristinum statum restituendi ac reponendi necnon cum eis si opportunum videbitur et expedire cognoveritis dispensandi, officiales denique et magistratus ba-

rones dominos temporales et alios quoscumque tam in germania quam in quibuscumque aliis christianorum locis, quos apostolicis mandatis inobedientes inveneritis, deponendi, appellationes insuper provocationes et suffragia quecumque per M. W. Ul. et Jo. ac alios quoscumque forsan interposita vel deinceps quavis occasione vel causa interponenda, frivola et inania nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse etiam per edictum publicum declarandi, nec non contradictores quoscunque per censuras ecclesiasticas et alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendi, et si et quatenus opus fuerit auxilium brachii charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum et Hispaniarum Regis Catholici in Imperatorem electi ac sancte Romane ecclesie advocati ac aliorum Catholicorum Principum invocandi. Verum omniaque alia ac singula que ad huiusmodi pestem extinguendam et radicitus extirpandam opportuna esse quomodolibet noveritis, faciendi gerendi mandandi ordinandi exercendi et excipiendi et ad premissa omnia et singula si et quando expedire videritis viros aptos et ydoneos cum simili aut limitata facultate assumendi subdelegandi et deputandi, ipsosque quotiens opportunum videbitur revocandi et loco ipsorum alios similiter ydoneos deputandi plenam et liberam tenore presentium concedimus facultatem. Vos igitur vel aliquis vestrum, ceteris forsan impeditis, onus tam meritorii negotii devota mente suscipientes, vos in illius executione sic sollicitos ac verbo et opere studiosos atque diligentes exhibeatis quod ex vestris laboribus divina vobis favente gratia sperati fructus adveniant, ac per sollicitudinem vestram que causas pias gerentibus pro retributione debetur palmam glorie non solum consequi mereamini, verum etiam apud nos et sedem predictam non immerito valeatis de exacta diligentia vestra uberius commendari. Datum Rome etc. Anno millesimo quingentesimo vigesimo; tertio nonis Januarii Anno octavo.

A. Castillo.
(Collat. Hip. de Cesis.)

9.

Viceeancellarius Aleandro.

(Nunt. German. L. fol. 7, 8.)

(Dat. Rome, 7. Januar. — Receptae Wormatiae 17. 1521.)

Venerabilis Vir Amice mi Carissime.

Havemo ricevute ultimamente le vostre de XXIIII. da Wormatia, et le altre vostre duplicate et copiose poco prima. Certo non si potria exprimere quanto la Santità di Nostro Signore et noi restiamo de voi, de l' opera, fatiga, et fede vostra sodisfatti.

Cerca le provisioni di Brevi et altre cose, che de qui desiderate tutta via a cio si attende, et fra quatro o cinque giorni vi si manderanno expedite, et cosi la provisione di Danari; voi seguitate virilmente come fin qui havete fatto et persuadetevi che Nostro Signore Iddio et il proprio suo Vicario in Cielo et in terra vi premiaranno in modo, che mai non v'increscerà haver sostenuto per la Chiesa et per il Sangue di Christo tante fatighe, et persecutioni. Sopra la causa di Luther si scriverà anche al Caracciolo; aiutate tutti insieme la causa commune de Dio et supplicate Cesare non abbandoni il suo bono proposito si come la divina clementia non manca a lui, et benevalete.

Romae VII. Januarii MDXXI.

Se la prudentia et studio vostro in questa cosa non si mostrasse maggiore di quello da voi si aspettava usaressemo molto piu parole in exhortarvi.

Vr. Frater, Vice Cancellarius.

10.

Cardin. Sanctor. Quatuor Aleandro.

(Nunt. German. L. fol. 9.)

(1521—15. Jan.)

Reverende Pater Amice mi charissime Salutem.

Ex litteris vestris cum ad Sanctissimum Dominum Nostrum tum etiam ad nos scriptis abunde intelleximus quae per vos in causa Lutherana fuerunt acta, et quam propenso animo cupiatis et nervis omnibus enitamini, ut negocium vobis demandatum omni prudentia et sollertia vestra transigatur nullis

errare. Hic cogitet illustrissimus Dux, iam tot saeculis, in quibus tam multa et adeo praeclara ingenia floruerunt, neque defuerunt multis animi ad insurgendum contra Apostolicam Sedem, et rejiciendum iugum obedientiae spiritualis, quam Romanis Pontificibus praestiterunt. Cogitet (inquam) et perpendat, an sit verisimile omnes errasse et tanto tempore Ecclesiam a Spiritu Sancto fuisse destitutam, et Martinum duosque aut tres eius complices solos recte sentire. Quinimo dicat potius dux cum Beato Cypriano paucos istos ab Ecclesia recessisse et fecisse schisma, non autem nos ab illis: Et repetat sub inde secum illud divi Hieronymi: Quid nobis novam doctrinam affers? ante tot saecula absque tua doctrina mundus fuit Christianus; illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum. Meminerit etiam illius horribilis dicti divi patris Augustini in libro de fide Catholica: firmissime tene, et nullatenus dubites omnem haereticum vel schismaticum cum diabolo et angelis eius aeterni ignis incendio participandum; nisi ante finem vitae Catholice fuerit incorporatus et redintegratus Ecclesiae. Et in eodem libro: Omni homini qui Ecclesiae Catholicae non tenet unitatem, neque baptismus neque elemosyna quaelibet copiosa, neque mors pro nomine Christi suscepta proficere poterit ad salutem. Hic consideret Dux, an neque nunc, neque iam mille annis Ecclesia Catholica fuerit in toto orbe, et ea, novissimis temporibus in solo Martino sit renata. O miseros igitur nos alios, miseros patres et majores nostros, miseros denique omnes, qui post quingentos annos nati sunt: si nulla interim Catholica Ecclesia fuit; quin potius dicamus fuisse semper Ecclesiam. Christus enim oravit, ne ea unquam deficeret: sed iam advenisse novissimos dies in quibus praedictum est venturum, non qui eam corrigat (quod Lutherani, Martini opera et spiritu novi Danielis praedicant faciendum) sed qui eam ad aliquod tempus dividat, et subvertat; antichristus utique, qui nullus alius videtur fore, quam Martinus.

Non necesse est errores huius hominis connumerare, qui multo plurimi et maximi sunt: dicantque Oratores non eam ob causam se illuc, a Cesare missos, ut Lutheri errata vel percenseant, vel confutent: quum etiam libros ipsius, a, Sede Apostolica damnatos legere aut tangere nefas sit. Sed iudicet Illustrissimus Dux quale sit illud, combussisse decreta Patrum et tot sanctorum libros tot saeculis approbatos, damnasse etiam

Concilium Constantiense, quo post illa quatuor magna Concilia nullum fuit unquam salubrius rebus Christianis. Quo Germania ipsa perpetuis est celebrata praeconiis. An totus orbis hactenus erravit et solus Martinus bene sensit? an potius hoc vel solum facinus perpetrasse demonstrat Martinum esse omni haeresiarcha iniquiorem et peiorem. Qui si evangelice viveret (ut iactitat et gloriatur) non tam foede tamque impudenter de proximis de Pontificibus, de Conciliis loqueretur, neque ausus fuisset unquam, hoc comburendi decreta exemplo tantum in toto orbe scandalum concitare, et judaeis et infidelibus nostram fidem deridendi et fugiendi ansam praebere, si iuxta ipsius dogmata percipiant, Ecclesiam Christianam per tot saecula in tenebris esse versatam.

Hic, quum Illustrissimus Dux tanquam rationabiles et iustissimas Lutheri causas nobis Coloniae objiciebat, Lutherum ab Echio et aliis suis adversariis fuisse ad haec scribenda exacerbatum, respondere oportet praeclarum esse hunc Evangelicae vitae assertorem: si, ut de adversariis suis vindictam quaerat, fidem Catholicam pessumdare nitatur.

Dicebat etiam libros Lutheri nequaquam esse comburendos ipso non audito vel disputationibus convicto.

Respondendum cum divo Hieronymo non requirendam esse eius ad respondendum presentiam, cuius scripta in manibus haberemus; in illis enim rationes multae melius et accuratius scriptae sunt, quam possit quis viva voce referre.

Deinde (ut idem divus Hieronymus ait) non necesse habet convinci quod sua statim professione est blasphemum.

Nam quod dicit omnino ipsum fuisse audiendum, primum quaeramus coram quibus judicibus! theologisne, aut juris consultis? Eorum omnium libros et damnat et adurit. Philosophos? Horum Principem Aristotelem bestiam dicit esse, etiam in naturalibus indoctum.

Numquid expectemus ut ab Episcopis velit judicari Martinus? At suspectissimos eos habet, ut quorum omnium dignitatem et auctoritatem prorsus tollit. Nam Pontifici, Episcopis, et Sacerdotibus cunctis quemlibet vel sordidissimum laicum aequalem quacumque auctoritate facit, et in sanguinem ipsorum populos concitat. Non sic autem divus Hieronymus ordinem Ecclesiae confundit. Qui contra Jovinianum scribens sic preclare ait: Si tollis ordinem tabernaculi, templi, Ecclesiae, si omnes qui a dextris sunt, corpus unum et (ut vulgo

dicitur), ἓν κόνιον, idest unus pulvis, eademque farina: Nequicquam Episcopi, frustra presbisteri, sine causa diaconi sunt. Et idem Beatissimus vir in dialogo Orthodoxi et Luciferiani, Ecclesiae (inquit) salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cuini si exors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes.

Restat igitur ut a meris laicis et illis indoctis iudicari Martinus velit, eisque potissimum, quos Pontifici et Clero infestos reddidit. Sed nemo ignorat, ubi de religione agitur, neque laicorum neque etiam Imperatorum esse judicium. Siquidem Arcadius Imperator hoc ad Episcopos remittit, ut Constantinus magnus in Nicaena Synodo, de querelis sacerdotum dixit manifestissime judicium ad se non spectare: Idem etiam Imperator adversus Montensium haeresim ad Sylvestrum Pontificem, Romam misit Rheticium Augustodunensem Episcopum, ut ad Marcellam Sanctissimus scribit doctor Hieronymus. At iste bonus Luther et se adversarium Pontificis facit: et eum subesse iudicio laicorum vult: quos tamen nunquam putarim tam impios, et tam impudentes, ut id sibi assumant. Sed illud maxime optabat Martinus ad diaetam salvo conductu accedere, ut in ea rabiem suam et venenum effundere impune posset: et ea opinione relicta discedere, quasi a Caesare et a proceribus ea, quae scripsit, essent approbata.

Praeterea quaeramus quibus auctoribus convinci vult? Omnes scientias et facultates et libros damnat. At rationibus? qui fieri potest, ut ulla ratione vincatur qui tam irrationabilia et scribit et facit? Novo testamento? primum in novo testamento non omnia scripta sunt, quae pro necessitate rerum, temporum, et locorum Ecclesia Dei spiritu praeeunte sanxit, et hactenus observavit, quae a Martino rejiciuntur.

Deinde in his, quae in novo testamento habentur, expositiones omnium damnat, et suam unius veram esse iactitat, sibique uni credi vult, qui reliquos omnes falsidicos et fide indignos facit.

Postremo passim videre est in Lutheri scriptis, si quid ex novo Testamento citatur, quod contra ipsum faciat, statim dicere illic esse deliratum: sicuti de epistola Jacobi scribit, et alia huiusmodi.

Neque hoc dicitur quia non sint plerique docti viri, maximo numero, qui contra Martinum et in campum descendere, et scribere sunt paratissimi, modo ne videantur et auctoritatem Pontifici coelitus datam et tam longo aevo, tot Imperatorum

populorumque consensu comprobatam in controversiam trahere; et dementia sit de cerimoniis nostri; et fide catholica velle disputare, et vulgo scandalum parere, quam prophetarum oracula, apostolorum testimonia, martyrum sanguis, confessorum doctrina consecravit.

Prudenter admoneatur dux et interrogetur, an sibi pulchrum videretur si quem, e suis subditis aut corrigeret, aut rebellem haberet vel eum qui secum vel de minimo pede ditionis suae contendere vellet, an ipse in controversiam ire et judicibus ullis, praesertimque incompetentibus, subesse velit. Quod si negat, ididem et multo iustius Pontifici dicatur Petro imo Christi Vicario non placere neque licere in ius adversus unam e suis errantibus ovibus, accedere.

Moneatur etiam benigne, caveat sibi ab excommunicatione, et interdicto, neque fidat appellationi Lutheranae: non enim rationabile est, neque paci Christianorum opportunum, ut in rebus spiritualibus, statim quis ad Concilium generale provocet, quod magna cum difficultate congregari potest; et sic igitur liceret unicuique (quidquid sibi libitum esset) contra fidem impune loqui, et de ea iuxta suum cuiusque sensum (ut Martinus saepe facit et consulit) statuere, scripturae sensum pervertere, decreta patrum negare, conciliis detrahere, sententiis prelatorum diffinitivis, non obedire, nihil omnino in religione pensi habere, sub hoc ad Concilium appellandi praetextu: quod sicuti est enormissimum, absurdissimum abominabile et in re Christiana perniciosissimum: ita pro certo teneat Illustrissimus Dux hujuscemodi appellationes et pessimas et inanes esse, nihilque prodesse, quominus qui illas sic interponunt et excommunicationibus innodati perseverent, et aliquando divino judicio veniant puniendi, tam ii qui faciunt quam ii qui sic facientibus consentiunt.

Possunt etiam Domini Oratores aliqua obiter commemorare de confessione, Eucharistia, extrema unctione: de quibus Martinus apertissime ea somniat, quae ab Ecclesia Catholica sunt prorsus aliena, et quum nihil boni afferant ea quae tradit, totum orbem in scandalum vocant et trahunt.

His et similibus topicis et probabilibus argumentis ad hunc usum maxime necessariis usi, Domini Oratores nomine Caesareae Majestatis hortentur precentur et moneant Illustrissimum Ducem, ut prae oculis habeat Deum: neque cum tanto periculo

se tradat in opinionem unius homuncionis contra totam Ecclesiam quae tot annorum curriculis hos ritus secuta est: imo, a qua quia Graeci et Asiatici populi prius Christiani recesserunt, imperium simul et religionem, fidemque nostram amiserunt. At septentrionales et occidentales populi, quanto proxime cum Ecclesia Romana senserunt, tanto felicissime floruerunt.

·Inducat Illustrissimus Dux vel etiam cogat fratrem Martinum revocare nova Dogmata, quae in suis libris sparsit. Hoc honeste facere poterit, quia in principio suorum librorum non semel protestatus est se staturum judicio Sedis Apostolicae.

Deinde imitetur sui ordinis patrem Divum Augustinum, qui innumeros errores, e, suis libris retractavit.

Multorum etiam sanctorum patrum aliquae sunt damnatae opiniones, quorum reliqua scripta in usu Ecclesiae habentur; hic est honestissimus revocandi modus.

Quod si vult suas lucubrationes ad posteros perdurare, deleat ex illis ea quae damnata sunt, et ab antiquo Ecclesiae nostrae ritu recedunt, et tunc reliquum quod erit ab omnibus legetur etiam auctoritate Pontificis comprobatum.

Id si faciet: Pontifex illi benignissime ignoscet, repurgabitque eam regionem a censuris, Martinum in filium recipiet; et tota Ecclesia gaudebit tam in coelis quam in terra super ove redeunte quae perierat filiorum Israel.

Alioqui tunc Illustrissimus Dux ob honorem Dei, reverentiam Domini Apostolici, et Ecclesiae, et in gratiam Caesaris prohibendo haec mala, ne ulterius serpant, in universa sua ditione libros Martini et alios famosos libellos, a jure prohibitos tam eos quorum errores in bulla sunt expressi, quam alios quos postea edidit, multo magis enormes, et perniciosos, comburi mandet et re ipsa faciat, juxta conclusionem Caesaris in consilio, omnium suarum nationum factam: ob quod potissimum ipsi Oratores mittuntur. Fratrem vero Martinum in aliqua arce detineat, nec patiatur ipsum talia scribere, nec alio fugere ad diffundendum suum in aliis gentibus venenum, sed illic detineatur, donec Caesar in Diaeta cum bonis principibus et prudentibus viris consultaverit quid de eo sit ordinandum. Quamquam si iure bono procedere vellet, deberet ipsum ad Cesarem mittere, qui una cum Pontifice de ulteriore juridica prosecutione tractaret.

Neque dicat Illustrissimus Dux se timere populum, qui

Martino favet; populus enim vultum et mentem Principis respicit: Et (ut dicit Herodianus) solent subditi vitam Principis aemulari.

Habet praeterea consiliarios, et praedicatores, qui si quantum prius Martino favebant, nunc aliter populo persuadere studeant, dicantque non putasse se principio tantam seditionem et schisma ex istis disputationibus orituram, certe omnia vel facile sedabuntur.

Addatur etiam quod Martinus scribit Illustrissimum Ducem Fridricum cum tota sua aula sibi favere: quod si est, cessante tali favore, cessabit etiam hominis petulantia. Scripsit autem hoc Martinus ad Crotum Erfordiensis Academiae rectorem.

In postremis dicatur animus Caesaris, quem declaravit in consilio suarum nationum habito die XXIX. Decembris: et significetur eum pro sua pietate et religione etiam juramento et imperialis Dignitatis officio, quo advocatus est sanctae Romanae et universalis Ecclesiae, et debitum honorem summo Pontifici promisit, non passurum, ut ista talia suo tempore aut suscitentur, aut perdurent, et in hoc decrevisse neque facultatibus nec propriae personae parcere.

Advertat tandem Illustrissimus Dux imperia et regna his potissimum artibus conservari, quibus parta sunt, et sicuti Germani favendo Ecclesiae Romanae imperii titulos et electoriatum acquisiverunt, ita caveant illi qui ab eadem Ecclesia dissentiunt et eam spernunt, ne istis dignitatibus et Dei et hominum judicio indigni videantur, et censeantur.

Illud etiam in comperto habeat Caesarem interim non cessaturum a destructione et persecutione istorum librorum eo argumento quod semper dux allegat, libros fuisse damnatos non audito scriptore. Quod (ut supradiximus) non est necessarium, aut rationabile, nam Martinus in suis scriptis non solum evidentissime, quod sentit loquitur, et quas putat ipse validissimas rationes adducit, verum etiam resolutorium composuit, in quo se ita sentire multo etiam manifestius declarat.

Quod si propositiones nudae essent, nullis argumentis corroboratae, vel forte fortuna essent ambiguae, tunc loquendi daretur copia, ut quod obscurum esset, dilucidius exponeretur: ubi vero ea, quae traduntur aperte, ab usu Ecclesiae recedunt, ea per se vel primo aspectu sunt condemnata. Sic errores multi, opinionesque et haereses, a Summis Pontificibus, Con-

ciliis generalibus, vel etiam particularibus Synodis fuerunt damnatae, in quibus auctores errorum non solum non fuerunt auditi, sed etiam non interfuerunt. Sicuti Ebionitarum haeresis, Sabellianorum, Pelagianorum, Montensium, de quibus judicandis Constantinus Imperator ad Pontificem Romanum misit, ut supradictum est. Omitto nunc quod Martinus statim a principio suarum ineptiarum, a Pontifice fuerat benigne admonitus ut desisteret, deinde etiam Romam citatus oblato salvo adeundi et redeundi conductu, quae omnia quum sperneret, necesse habuit Pontifex, non sine tamen matura et Cardinalium et Episcoporum et multorum doctissimorum virorum deliberatione et disputatione, et errores ipsius condemnare et contra eundem ad ulteriora procedere.

At dicet Martinus (quod et dux ipse nobis per suos referendum Coloniae iussit) causam suam vel multo antea fuisse, a Legato S. Sixti Reverendissimo D. Treverensi commissam, qua indecisa pendente, non debuisset interim Pontifex procedere:

Primum respondendum est fuisse hanc causam non commissam sed fortasse commendatam a Legato, ipsi Domino Treverensi, ut ipse, utpote vir eruditus, magnaeque auctoritatis et illustrissimo Duci amicus tentaret, quo pacto finis huic pernicioso negocio tandem imponeretur.

Deinde si commissa esset, oporteret scriptis probare de facultate Legati et subdelegati.

Postremo quando maxime commissa esset, Pontifex qui erat supremus committens, potuit et merito debuit ad se talem commissionem causamque totam advocare, praesertim quum Martinus in dies magis pergeret insanire, et tam voce quam scriptis semper aliquod venenum in populum diffundere: unde Pontifex merito cogebatur negocium maturare, ne materia fidei processuum involucris diutius precrastinata magnum fidelibus detrimentum afferret.

Nam quod Martinus protestabatur, se velle audiri et ut id in diaeta fieret maxime procurabat, eo tendebat ut auctoritatem Pontificis iudicio laicorum subiiceret; deinde quia sperabat tumultu et affectu eorum, qui sunt in Romanam Curiam male animati, causam suam comprobandam, et Germaniam totam in suam sententiam se facile tracturum.

Suberat etiam quaedam latens astutia, nam quum suspicaretur, imo etiam iam ab aliquibus intelligeret, nuncios Aposto-

licos iure optimo impedituros ne causa, de qua Pontifex verus iudex et Sedes Apostolica pronunciarat, cum detrimento et depressione Pontificalis auctoritatis iudicio laicorum discuteretur, ideo Martinus se magnificum et fortem ostentabat in ea re, quam certo sciebat nequaquam secuturam. Quod si etiam in Diaeta et auditus et condemnatus fuisset, quis non videt ipsum, a judicibus minus competentibus statim fuisse provocaturum ad Concilium, qui, a judicio competentissimo Sedis Apostolicae, cui ratione causae et personae iure ipso subiectus est, et ipsemet, a, principio se submiserat: provocavit et fretus salvi conductus auxilio ita fuisse facturum, quod cum Legato Sancti Sixti Augustae fecerat; quum enim prima die revocasset omnia viva voce, quae in ipsius scriptis Sedes Apostolica non probaret, postridie sive aliena protervia seductus, seu maligno suo spiritu sententia mutata, adducto secum Notario publico et magna civium Augustanorum caterva cinctus, qui levitatem simul et perfidiam suam magno strepitu universo orbi claram faceret, attulit schedulam, qua protestabatur se non stare revocationi suae vocali sed scriptis suis, discessitque liber et impunis; quia sub salvo conductu illuc adcesserat.

36.

Aleander Vicecancellario.

(Nunciat. German. L. 198.)

(Fortasse 1. Martii 1521.)

Ancor che pari el Cielo et la terra et presertim tutta questa Germania in la causa a me commessa esser contrarii, et che per farmi o retirar dalla impresa, o almeno intepidirmi: tuttavolta il Diabolo mai harà tanto potere, che io lassi l'impresa, almeno di quanto in me è; ben mi dole assai che alhora forsi se mi mandarano le cose requisite da me et necessarie, quando non si potrà più remediar; Et certo cognosco che la mia troppo diligentia, et astutia che io usai poi l' aggiunger mio in Fiandra, chè 'l terzo dì obtenni il mandato di Cesar et statim fece abbrusciar li libri di Luther ed altri scritti famosi, ha nociuto assai a questa cosa et a me; perchè li mei

Signori di Roma son fatti tanto securi della cosa Lutherana pensando che per tal atto la fusse prorsus extincta et che questi populi fussero christianissimi et devoti alla Sede Apostolica, che mai ci hanno dopoi più pensato; alioquin non credo che tanto tempo havessero fatto così pocca stima non dico di me ma di se stessi et dil honor et commodo loro, anci di la summa de la Christianità et Sede Apostolica. Ma V. S. Rma se degni sapere che nel principio tal industria usai con la gratia di Dio che et Cesare et li conselieri primo videro il fuoco delli libri che si pensassero havermi concesso il mandato; il qual tamen già era sta concesso, et ancora a Colonia, vix aliquo ita cogitante, fu fatta sì bella executione et cum grande industria che Cesar esso proprio disse allo episcopo Leodiense et molti altri signori che in vero io mi portava molto vigorosamente et che così se dovea far. Ma al presente che tutta la Germania è in volta, et delle X. parti di essa le nove crida Luther et la decima, se non se cura dei ditti di Luther, saltem crida la morte alla Corte di Roma et ogniuno domanda et crida concilio et lo voleno in Germania, et quelli che più deverebbeno far per noi, imo per sè stessi, alcuni per timidità, alcuni per dispetto, altri per qualche suo desegno; invero che da Roma se ne deverebbe far qualche demostratione di farne stima et havermi mandato la Bulla de mia commissione cum potestate substituendi, et questi Brevi adirizzati a chi ho già demandato et molti credentiali a Principi et a Episcopi et Prelati ét denari sì per mio viver come per donar a secretarii et a sbirri, li quali tutti ancorchè sieno infensissimi alla Corte di Roma, tuttavolta qualche denaro li farebbe saltar a nostro modo, quia aliter nihil fit et vix sic faciemus aliquid; anci se più expettamo, in tal modo piliano piede questi Lutherani, che certo mi dubbito che questoro haranno paura conçedermi nè mandato nè executione contra loro, id quod iam fere concedere timent, ut ipsi dicunt ne populus concitetur. Et tuttavolta altra via non è di metter freno, perchè li Germani hormai niente stimano, imo se ridono de excomunicationi et li frati non audent vel nolunt in pulpitis praedicare contra Lutherum, ad tal che è stato scritto a Cesar et letto in el conselio che una donna in Anversa affrontò in pergamo un frate et mostrolli un libro di Luther in alemanno et disseli che in dispetto suo lo leggerebbe. Innumeri hanno cessato più con-

fessarsi et novellamente in questa terra post adventum Caesaris quidam canonicus et custos Ecclesiae sancti Martini Wormatiensis, homo prudente et honestissimo, hami detto de certo che un grande se è ito a confessar di peccato di luxuria con una donna nè mai ha voluto specificar se vergine, se uxorata, se parente, et non volendolo absolvere, disse che era absolto da Dio et che sanctissimamente così insegnava Luther. De questi monstri ne saprei scriver li meliara, ma non voglio buttar via nè charta nè tempo.

Li Lutherani ogni di pioveno libri nuovi sì in Alemano come in latino, et tenono qui uno impressore, dove mai avanti fu più tal mestieri, nè si vendono altri libri quì, che de Luther, etiam in aula Cesaris, che è cosa stupenda come sono uniti, et trovano, in cumulo danari; ne si li pole dare remedio, fino che habbiamo li mandati expediti, al che ancor che Cesar habbii in pleno consilio commandato, tuttavolta ce impedisce la expeditione li favori, che sotto man da il Duca di Saxonia a Luthero, la rabia di tutti Principi di Germania, che cridano a Cesar contra di noi, le consulte, in le quali invitis dentibus meis, me hanno tandem gettato, et pur ancor el dirò, el defetto dil danaro da unger le mani primo a qualche secretarii, poi alli sbirri in exequirli. Pur ogni hora sono appresso, et acciò non se excusino per le altre occupationi Io medesimo ho composto le minute latine, le quali poi se hanno a far in Alemano, poi che saranno comprobate per il conselio, al che me hanno dato fin qui X. consulte, et besogna congregar insieme conselieri di tutte Nationi subiette ad Cesar, che è una fatiga intolerabile ad adunarli; et poi tandem quando sono daccordo delli mandati referiscono al conselio, dove se novi conseglieri se abbatteno, che non siino stati al primo conseglio, voleno ogniuno mostrar el perito et aggiugner o diminuir, et de novo si dano commissarii, sì che le consulte le quali sempre da principio ho fuggito mi vengano adosso, volii o non volii. Adcedit ad id che li secretarii che hanno a mutar il mandato in Almano sono Lutheranissimi, aut saltem inimici di Roma sopra modum, che me stropiaranno, et Dio sa come, et poi tandem che tutto sarà fatto non ho danari da farlo imprimer, et dar qualche cosa per forsi cento sigilli che così dicono che se rechiede.

Itaque quo me vertam nescio, et pure è così, che mai fu vista tal confusione, ne ho speranza, ne recorso alcuno à quelli

che deverebbeno far assai in questa cosa perchè per la loro timidità se lassano pigliar el proprio non che defendino il nostro, et basta, non posso più descoprirmi, fino che io sto qui.

Accedit ad id et aliud novum malum, che quelli che vieneno di Roma divulgano passim che à Roma se ne rideno delle cose di Luther, et che non si fa stima alcuna. Il che in tal modo exacerba l' animo delli Conselieri, li quali hanno questa cura di expedirmi, che vorrebbeno quodammodo non se obtenisse niente in questa Dieta per veder in che stato restarebbeno le cose nostre, certe male, post discessum Cesaris, se non fa demostration avanti la dissolutione della Dieta: Ma se fussero già un mese stati replicati li brevi ad Cesarem et ad alios, cum molto miglior meggio se harebbe potuto trattar tal cosa, et questoro vederebbeno che non, si come dicono li che vieneno da Roma, Nostro Signore faccia si pocca stima. So ben che da Roma si ha forsi restato scrivere, et far nuove instantie per non dar tanta reputatione alla cosa, et occasione a questoro di tenerci el piede del tutto sul collo, sed tamen est quaedam aurea mediocritas di evitar li doi extremi, et maxime perchè questa cosa è venuta già ad grande discrimen, ad tal che questi di Cesar dubbitano non ci poter più remediar; tuttavolta non debbiamo lassar di fare il possibile, et poi remetter alla divina gratia: Certo che se si fa quello che io pretendo spero ne haremo assai buon exito, purchè da Roma non si manchi. Quantum in me est Dio mi confunda, se mai uno minimo momento ho lassato di operar in questa cosa nè sano nè amalatto, et in necessitade extrema, et se non ho scritto le cose così grandi, come le sono, holo fatto più tosto per attender a remediar al male, che per el mio scriver incorrer in suspitione che io facesse el pericolo grave, per mostrar le mie fatiche esser maggiori et sperar maggior premii; al che certo mai principalmente ci pensai, ma solum come in questa cosa io possi servir à Dio et satisfar a Nostro Signore, ad honor di Vostra Signoria Reverendissima mio patron, et commodo della republica Christiana. Intendo per admonitione fatta al mio procurator costà dal R. Segnor Archiepiscopo di Capua che Erasmo ha scritto à Roma querele di me, che io denigro la fama sua apud Principes, donde Nostro Signore se ne è molto resentito. Me despiace assai, che se dii più fede à parole di Erasmo, che ha scritto peggio che Luther

contra la fede, che a me che mi fo squartar per tal cosa: ma sapii Vostra Signoria Reverendissima che Erasmo piglia l'avantagio come la moglie adultera che ante tratto comincia reprender el marito. Io sempre ho saputo che Erasmo erat fomes omnium malorum et che lui subvertea la Fiandra et il tratto del Rheno; tuttavolta sempre dissimulai et holo laudato nè mai ho havuto controversia seco, nè disputatione come par che vogli innuere il Sr Archiepiscopo; anci una volta albergamo insieme a Venetia, Erasmo ed io in eodem cubiculo et cubili ben sei mesi, quando io leggea li morali di Plutarcho greco et lui non se dedignava interesse lectionibus meis quotidianis, et dopoi sempre siamo reputati amici l'uno et l'altro, per il che me meraviliai assai che essendo mi in Antversa, mai Erasmo si lassò trovar nè manco me venne a veder; il simil poi a Loanio; ben intendea da tutti che lui passim seducea el mundo, dicendo che la Bulla contra Luther era falsa et non del Papa et io ad questo non dicea altro se non che mostrava l'original a chi me parlava di tal cosa, o quando accadea alli atti solenni; ad tal che a Loanio li dottori me dissero esser sta impressa tal opinione per Erasmo a tutti che questa bulla era falsa, che quando la mostrai loro stavano attoniti et la volgeano su et giù come cosa ancor dubbia. Poi a Colonia, dove fu trovato Erasmo la notte andar ad perverter li elettori et far el peggio che lui potea, et pur vedendo che le cose nostre succedeano ben contra Luther, me venne a parlar, et io li fece le più grandi carezze et onori che io potei rememorando insieme li tempi passati, et tandem deventum fuit a questo che lui dicea haver inteso che io parlava mal di lui apud summates et che intendea proceder contro di lui et Reuchlin ad condemnationem librorum eorum; resposi non haver tal commissione, anci che io era per piliar la querela contra chi parlasse mal di lui et che non sapea se suoi libri fussero buoni o mali, perchè quello che lui ha scritto in sacris litteris non lo havea letto, nè pensava lui haver scritto mal alcuno contra ritum Ecclesiae. Et quivi sempre dissimulai dextramente et trovai alcune bugiette officiose perchè non faceva a proposito della fede, nè della mia commissione far altramente; ben li dissi che mi despiacea per amor et honor suo intender che lui havea divulgato la bulla esser falsa o surreptitia, et li alligai testimonii quali lui non potea negar. Respose essor vero et per suo argumento

disse haverlo fatto perchè non era tenuto a creder la bulla esser vera, fino che l' havesse visto l' original, et io reflectendoli l' argumento resposi, che nè anche lui devea publicarla esser falsa, fino che havesse veduto l' original, perchè questo era più grave error condennar la cosa che l' homo non sa, ma da prudente era o de tacer o più tosto dir el meglio chel peggio. Ad haec per Deum erubuit et obmutuit, et io vedendolo confuso la buttai in riso insieme, et ragionassemo di altre cose et alcuna volta io lo laudava chel non havea fatto come Luther, et confortavalo a scrivere ea quae edificarent, non dividerent ecclesiam, come havea fatto Luther. Anci più dicendomi lui haver de bisogno veder alcuni libri della libraria Palatina lo invitai à Roma, promettendoli che sarebbe ben visto, et trattato da Nostro Signore et Vostra Signoria Reverendissima, et così consumamo 5, o 6, hore del Dì insieme; poi con buona gratia de ambedoi, lui si parti. Li doi dì seguenti intendendo lui che si preparava far l' atto solenne di libri di Luther, mandò à rechiedermi el colloquio. Io che era impedito scorrendo qua et là, pregailo che me lassasse expedir certa facenda, poi saressimo insieme. Perchè io sapea ben che lui me volea tenir à bada, acciò scorresse il tempo, che era brevissimo, et Cesar interim se partisse infecta re nostra: Ma poi fatto l' incendio, mai più Erasmo comparse, et la corte parti per Moguntia, ne altro poi è accaduto che io sapii: Sì che prego Nostro Signore non credi ad Erasmo in questo, più che a me, perchè così è et holo scritto così a lungo acciò Sua Santità et Vostra Signoria Reverendissima sapesse el tutto, et a corroboration di questo pol comprender Vostra Signoria Reverendissima el vero da mie proxime date lettre, nelle quali io scrivea che ancor che Erasmo fusse el gran fundamento di questa heresia, tuttavolta se devea dissimularlo per adesso. Et tamen tunc ignorabam id quod postea ex litteris procuratoris mei intellexi Erasmum ad urbem talia scripsisse. Summa summarum supplico à Nostro Signore et Vostra Signoria Reverendissima che non credino che io sii sì pazzo che io non vedi lo che besogna dir et tacere, che horamai ne son assai, et pur troppo perito in questa materia, et so ben che non opportet simul concitare tot hostes. Imo l' altro dì che un villano portier del consiglio Lutheranissimo me dete doi pugni nel petto à gran torto, et che tutti qui aderant plurimi, diceano

che io ne devesse far querela, mai l' ho voluto far per non guastar la lite principal, dum prosequerer novam controversiam. Alli di passati scrissi a Vostra Signoria Reverendissima una parte delli insulti et ignominie che mi faccano questi ribaldi, et credo che forsi non mi era creduto, però mando el testimonio loro in un libretto, che è dato fuora più acciò che la sii advisata del successo delle cose, che per far fede a mie miserie. Mille altre frasche ne mandarei, ma non voglio cargar el corrier se non di cose che me pareno necessarie, come è questi articuli, che questoro proponeno in la Dieta, li quali ancor che siino produtti communi nomine, tuttavolta credo che siino excogitati da alcuni per particular sdegno o commodo, perchè el rumor di tutti in la Dieta è di voler concilio, de desobedir a Roma, de insurger contro il clero, et a questo li più grandi danno animo et ne parlano in vultum Cesaris, el qual però sempre è constante al bene. Mando ancora la epistola di Luther ad Cesarem, la qual essendo presentata per mons. de Cistem come procurator di Luther pregando Sua Maestà li volesse far ragione, quella la lacerò come si vede et gettolla in terra et è quella propria che fu una grande demonstration a tutta questa Dieta qual sententia dona Cesar alle cose di Luther.

Supplico V. S. Rma che poi che N. S. l' harà vista la se facci servar in la camereta secreta della Bibliotheca palatina se così a lei piace.

In questo medesimo giorno sono venuti fuora ancor doi libri di Luther in alemano et un libro con nome fento contro il Papa, dove lo chiama Lenonem non Leonem cum mille altre pazzie, et altri quatternucci che è una vergogna. Ancora è dato fuora un libro in alemanno contra Luther ad nobilitatem Germaniae, che se dice esser assai ben fatto.

Alli dì passati in Augusta si vendea la imagine di Luther con la diadema di santo, poi quì se ne ha venduta senza diadema; con tanto concorso et così subito furno venduti che io non ne potei comprar. Heri in un medesimo folio vidi la immagine di Luther con un libro in mano et la imagine di Huten armata cum la mano alla spata, et sopra era in belle lettere: *Christianae libertatis propugnatoribus M. Luthero, Ulrico ab Huten.* De sotto un tetrastico a ciascheduno di bella sorte; ma quello de Hutten minacciava della sua spata. Un gentil-

homo me monstrò tal imagine nè se ne hanno più trovate altre; vediamo a che è venuto il mundo che questi Germani feruntur precipites ad adorare questi due ribaldi in vita, et che vita! come superba, come causa di tanto schisma, che non scriveno parola, quale non sii contra la charità del proximo et la lege evangelica per scinder la tunica inconsutile di N. S. Jesú Christo. In le mani di tali genti son condutto io. Mando ancora certi articuli qui circumferuntur de uno advisamento ribaldo in la causa de Luther, et dicesi che sono di Erasmo, fatti acciò che questi Principi in la deliberatione sapiino in che modo deliberar per turbar il progresso nostro, et che Cesar si parte infecta re; tuttavolta se tenirà modo rumperli il disegno. Se io volesse mandar ogni cosa di queste ribaldarie besognarebbe cargar un carriaggio.

Li assaissimi et grandissimi periculi alli quali sto ogni hora exposto non posso nè volio raccontar, si perchè sarebbe troppo longo a scriver, sì etiam perchè non se mi crederebbe, nè manco si crederà mai fin che (quod abominor) io sia sta o lapidato o tagliato a pecci da questoro, li quali come ne vedeno andar per strata non è un di loro che non metti la mano al manico della spata et stregendo i denti mi dicono in almano qualche blasphema, minacciandomi la morte, et di questo ancor heri me dicea el Rmo Sedunense che quando passo per la piaccia avanti a casa sua li suoi familiari hanno sempre observato tali atti esterni fatti da tutti; ma io me raccomando a Dio, che sel accadesse altro di me habii misericordia dell' anima mia et N. S. se degni darmi indulgentia plenaria et V. S. Rma habii raccommandati li mei fratelli et miei servitori, qui etiam patiuntur mecum.

Supplico V. S. Rma si degni far dar ordine allo che se contiene in mie altre alligate a queste perchè assai importa a sedar questi tumulti, li quali sono di sorte che se il buon Cesar, non dico ce contrariasse, sed solum vel minimum conniveret, actum profecto esset de re hac, imo de obedientia universae Germaniae erga Sedem Apostolicam; ma questoro, vedendo Cesar far di buoni atti contra le cose di Luther pur alquanto se contieneno dal concetto furor; nè però tanto pol esser buon Cesar nè tanto commandar che siamo expediti, che li ribaldi non ci stancheggino di sorte che potrei scriver un gran volume delle stranezze che ci usano chi per una via chi

per un' altra, chi aperte et chi sub pretextu boni. Sed non possum tute omnia scribere. Felix vivat et valeat Sanctissimus D. N. et reverendissima dominatio vestra, quorum pedes manusque deosculor. Wormatiae.

37.
Aleander Vicecancellario.

(Nuntiat. Germ. L. fol. 160.)

(4. Martii(?) 1521.)

Io ho lecto al doctor Capitone el capitulo de lettere de V. S. Rma et la bona speranza che li dona; supplico si mandi ad executione perchè questui è uno de grandi Capitanei de li Academici nostri nemici ancor che occulto per respecto del Maguntino con el qual lui sta: et questo buono homo dil Cardinale non lo vole credere anci per lassarse aggabar da lui commette di molti errori, ne mi giova che io ge l' habii detto et monstrato, che non lo vol creder: Donde siamo sforzati pigliar detto Capitano per un altro verso, et quello che vorrei fusse sta usato da principio (che hora non è tempo) veder di acquistarlo con qualche gratia da Roma et presertim con questa prepositura, di la qual havendo la gratia non mi dubito non lo siamo per haver, se non del tutto per noi, almeno manco nocivo alla causa catholica, se non fusse per altro che per suo interesse per conservarse detta prepositura, essendo li Lutherani destruttori de ogni sorta di benefitii ecclesiastici. Ipse multa potest per haver già così infenochiato Moguntino et per essere predicatore ordinario de la chiesa Moguntina, et preceptore de quasi tutti de questi Theologopoeti predicatori che regnano al presente in le principali chiese di Germania.

Molto ha giovato che Vostra Signoria Reverendissima in sue ultime lettre habi fatto due o tre fiate mentione del Confessor, el qual per molti giorni primo parea refredito in la cosa nostra, la causa non scrivo per questa per esser alquanto prolixa; hor al presente lettoli li capitoli de lettre di Vostra Signoria Reverendissima se ha tutto reconfermato per noi, perho supplico che in ogni sua lettra ne facci qualche mentione che più giova mille volte, che un breve commune, scio quod dico: novi

istum hominem; et sapii Vostra Signoria Reverendissima che 'l Confessor a mantenir Cesare (qui solus bonus est) pol assai immo fere omnia et persertim in re Lutherana, in qua Cesar cossì farà, como li sarà mantenuta la conscientia, la qual da sua natura me par che habbii melior che homo, che mai vidi.

Resta che io responda a quella parte, che Vostra Signoria Reverendissima in tutte sue lettre mi scrive, che usiamo ogni fede et diligentia, et siamo sempre congiunti et concordi il Signor Prothonotario Carazzolo et io: Qua in re supplico che N. S. et V. S. Rma stiino de bono animo quantum ad hoc che certo di la fede et studio non ne sapressemo metter più et de esser unanimi in tal modo fin quì habiamo negotiato, ita in hac re unum sensimus, unum studuimus ut nihil potuerit esse nobis coniunctius. Oime! sarebbe adesso tempo che noi fossimo discordi in tanta rerum omnium perturbatione, contra tanti et sì aspri nemici de li nostri patroni, di l' honor, di la patria, di la sede romana fundamento de nostra sancta fede: non volii Dio che tal inconveniente accadi; nè suspichi perhò V. S. Rma noi esser stati discordi per quello che io scripsi esser sta fatto error in nominar solum lui in alcuni di quelli brevi credentiali ultimamente scripti circa la materia della fede, che credo il secretario non pensò altramente per inadvertentia; del che el detto Signor Prothonotario fu più mal contento che io, perchè, como prudentissimo et in loco, cognoscea non giovar alla cosa nostra presertim in re fidei la qual principalmente è commessa a me et per questa causa specialmente son sta mandato, et a me tocca parlar, disputar, proponer persuader privatim et publice coram universo imperio in unum congregato vel etiam coram singulis ordinibus vel principibus imperii seorsum, come fin' ora sempre ho fatto comunicando tuttavia il tutto con detto Prothonotario, il qual ancora mai manca quando il richiedo trovarse ancor lui presente al negotiar et lui vicissim di la cosa di la sua principal commissione amorevolmente participa con meco nè mai fin quì è stato commesso un minimo error nè fatto pur un segno di dissidio o simultà alcuna fra noi. Et perchè V. S. Rma già in queste doe ultime lettere se degna a farme excusatione ancor che non besognasse che 'l mio Signor se humiliasse a sì vil cosa verso il suo servo, dubitandomi che quella non habbi piliato umbra da mie lettere che per ambitione io me habii lamentato et non

per la necessità della cosa, supplicola flexis genibus la se degni conoscer una parte de la mia iustificatione et intender medullitus il stato de la cosa come è. Baso humilmente le sacre mani di V. S. Rma. Wormatiae.

38.

Vicecancellarius Aleandro.

(Nuntiat. German. L. 33.)

(1521 — 8. Martii.)

Vi si mandá la copia della risposta che fecero alli Legati di Nostro Signore li Principi Elettori et altri grandi nella Dieta ultima della felice memoria di Maximiliano, nella quale intervenne il Prothonothario Caracciolo, et la copia della replica si fece di qua, benchè per il caso della morte di esso Maximiliano non potesse pervenire a tempo a Sua Maestà; si manda anchora copia de un breve che s' era pensato qui di mandare a Cesare in resposta della protesta et oratione de Luther, quale non è parso a Nostro Signore sia expediente mandarlo perciocchè non havendo voluto Cesare leggere detta protesta anzi havendola in presentia di tutti strazzata si come voi scrivete et appare per essa da voi mandata qui, Sua Beatitudine prudentemente ha giudicato non essere da farne più mentione a Sua Maestà, nè di bisogno a confutarla altrimente, basterà che voi legendola vine serviate a beneficio pubblico in quello parrà alla prudentia vostra potervene prevalere; tutto è farina del Santi Quattro. Seguitate pur voi virilmente come fate perchè nella Dottrina et suffitientia et fede vostra gran parte consiste della sperata vittoria. La prebenda Monasteriense di Caserta lui dice haver ceduto già in favore di chi voi scrivete; la cosa di Capitone quem tantopere laudas già è in securo et il Bonbasio Secretario del Santi Quattro ne ha la cura et il patrone suo l'ha tolta sopra di se. Communicate el tutto col prothonotario et amendui siate forti nella battaglia et persuadetevi che di nissuna impresa possete riportare da Sua Beatitudine nè dalla Sede Apostolica nè maggior laude nè più maturi et soavi frutti, et benevalete.

Pisis, VIII. Martij MDXXI.

Vester Frater, Vice Cancellarius.

39.

Leo X. Carolo V.

(Acta Wormac. fol. 80.)

Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum ac Hispaniarum Regi catholico in Imperatorem electo [1]).

Charissime in Christo fili noster salutem; Tanta est atque adeo notoria, et universo orbi terrarum manifesta, Martini Lutheri heresiarchae, non solum in nos et hanc sanctam sedem, sed contra etiam ipsius fidei veritatem, ac sanctorum patrum decreta pertinax et detestanda temeritas, quam fetido ore suo palam predicare ac celsitudini etiam tuae per epistolas et alia scripta sua nefaria significare non veretur, quinimo inaudito et effrenato quodam furore satagit, ut neque nostro et huius sancte sedis decori conveniat eam magis arguere, quippe quae a suo ipsius auctore satis indies non solum impurissimis et sacrilegis verbis, sed impiis etiam operibus detegitur ac manifestatur: Quae cum ipsius etiam Majestatis Tuae statum et honorem apertissime tangant, minimeque dubitandum sit, quin celsitudo tua noverit, quae suae sint partes, ut pestis ista in Imperii sui finibus exorta, priusquam maiora suscipiat incrementa, pluresque Christi fideles pernitiosa eius tabe inficiantur, opportune tollatur, ac penitus extinguatur: Quia nuper tamen ad nos pervenit epistola quaedam in publicum edita et impressa, qua dictus Martinus sub mansueta ove lupum rapacissimum agens, et Luciferi superbiam simulata verborum humilitate adumbrans, Majestati Tuae subdole se insinuare conatur; ac ei persuadere, quod invitus in publicum venit, ac aliorum vi et insidiis proditus scripsit, quicquid scripsit, et demum propter evangelicam veritatem, quam adversus superstitiosas humanae traditionis opiniones evulgare se iactat, iras, contumelias, pericula, et quicquid mali excogitari potest, sine fine patitur, ac frustra veniam petit, frustra silentium offert, frustra pacis conditiones proponit, frustra erudiri meliora postulat, et cum frustra omnia tentarit, in eum tamen id paratur, ut extinguatur cum universo Evangelio, ac propterea, ut se Beato Athanasio com paret, Imperialem Majestatem invocat: Quia haec et huius-

[1]) Haec epistola non fuit data Caesari sed tantum missa Nuncio Aleandro ut eruitur ex epist. Vicecancell. ad Aleandrum die octava Martii Docum. 38.

modi alia mentiens ad te scribere ac palam omnibus protestari, temere presumpsit, propterea visum est nobis nullum quidem ipsi, ad tot et tam importuna eius mendacia responsum dare, cuius falsas et hereticas opiniones, sano plurimorum iudicio reiectas et reprobatas merito damnavimus, ipsumque tanquam membrum putridum a fidelium consortio excludendum et ab omnibus vitandum esse declaravimus, sed celsitudini tuae paterna charitate significare deliberavimus, ne homini mendacissimo, et sibi etiam ipsi (ut mendaces consueverunt) dissentienti fidem aliquam prestare velit, qui dum asserit, se invitum in publicum venisse, ac vi et insidiis proditum scripsisse quicquid scripsit, procul dubio nobis ac Majestati Tuae omnibusque declarat, se improbum ac detestabilem, et ipsius diaboli, sicut opera eius docent, ministrum et instrumentum factum conscientia ipsa quam nobis a Deo datam nemo effugere vel a se ipso seiungere potest continue subigi, ut proprium scelus intuens, illud propter eius immanitatem abhorrere cogatur, et si possit effugere temptet, vel in alium declinare; videns itaque homo nefarius, quod et quale incendium excitaverit, postquam domus suae in qua professionem emiserat, cellula egressus, obedientiae iugum excussit, et ambitionis vento inflatus apostasiaque nota conspersus, inter seditiosos ambulare, insciaeque plebis animos captare, et ad res novas sollicitare cepit, ac ea non solum predicare, sed etiam scribere ac publicare presumpsit, quae in populo scandalum et in Ecclesia Dei non mediocre dissidium pepererunt, culpam transfert in eos, qui ipsum ab insania liberare, et a perversis erroribus in quos prolapsus fuerat eximere, fraterna charitate studuerunt; neminem itaque iure accusare potest quam se ipsum eiusque ducem sathanam, qui ipsum e latebra extraxit, ac pernitiosum virus spargere, omniaque pestifero spiritu contacta inficere docuit. Nec est quod iure conqueri possit se propter evangelicam veritatem multa adversa pati, cum potius gloriari posset, quod evangelicae veritatis temerarius corruptor ac sanctorum sacrae scripturae interpretum blasphemus et calumniator, tam diu manserit impunitus, si haec tamen supplicii dillatio potius dicenda est quam ad gravioris vindictae poenam reservatio. Audet etiam homuncio iste totus ex scelere, et mendacio compactus, captandae misericordiae causa dicere, se frustra veniam petere, frustra silentium offerre, cum erratorum veniam, si se corrigere, culpam-

que suam agnoscere vellet, à nobis paterna charitate oblatàm penitus neglexerit, et ad nos etiam sub salvoconductu benigne vocatus, et invitatus venire omnino recusaverit, suamque in nos maledicentiam ac heresum pertinaciam auxerit: Quod vero subiungit frustra pacis conditiones proponere, id non simpliciter dictum sed ex intimis superbiae archanis depromptum est, quasi victor ipse (ut serum sepe vigilans somniat) condiccionis pacis nobis offerre, non autem humi prostratus facinorum ac scelerum suorum supplicem veniam et salutarem poenitentiam a nobis petere debuerit. Dicit etiam ut modestiam simulet, se frustra erudiri meliora postulare, cum in diversis, etiam ad nos epistolis, et aliis libellis suis, dictante sibi lucifero scriptis, palam et aperte testatus fuerit, ea quae dixit se non dubitare, sed paratum esse ignem et mortem suscipere pro illis, et hereticum asserere omnem qui contra sapuerit, nec se mutaturum sententiam, quia veritatem divinam loquatur, et plura huiusmodi stultitiae, et arrogantiae plena, omnemque sanam doctrinam respuentia. Quorum licet sibi sit conscius, tamen ut falsitatem suam omnibus notam faceret, Majestati Tuae frustra illudere, ac se innocentem humilem et modestum fingere ac simulare nititur, cum nunquam talis fuerit vel esse curaverit, quinimo contraria his virtutibus vitia, sicut eius opera et scripta probant, semper amplexus fuerit. Utrum vero stultius an superbius illud est, quod ait, in eum parari, ut extinguatur cum evangelio? quasi absque ipso nullo pacto stare queat, et cum ipso protinus interiturum sit evangelium, qui si adeo totus evangelicus est, ut esse profitetur, ac pro eo martyrii gloriam quasi affectat, cur tantopere sibi cavet, ut nec salvo conductu munitus, ad nos unquam accedere, fuerit ausus, et ne nunc quidem coram ullis iudicibus, nisi non suspectis et sub fide publica idonea, et sufficienti conductu libero (ut ipse loquitur) se compariturum testatur? Quid est quod illum adeo timidum et suspiciosum reddit? nihil aliud profecto quam mala ipsius conscientia nefariaeque cogitationes, quae illum dies noctesque ita exagitant, atque deterrent, ut ea quoque timeat, quae nihil omnino sunt timenda, nec unquam satis tutus sibi ipsi videatur, ac propterea, se in secularium Pricipum clientelam dederit, et cum Huteno pluribusque aliis facinorosis, et seditionum fautoribus coniurationem et foedus inierit; Qui si esset ut eum

che io lo intertenghi et reduchi più che è possibile se non per lui almeno per il seguito che ha, io risponderò la mera verità, como a mio patron son tenuto, ancor che io havesse causa de sdegnarmi al principio che io venni in Fiandra perchè testimonio omnium lui divulgava per tutte terre anxio qua et la, como un impaccito, che la bulla che io havea era falsa, et che io vedesse le epistole, che lui scrivea in laude de Luther et tutti Lutherani, et intendessi palam da li Lutherani et da li Principi in la dieta, che questui era loro capo, vedendo etiam le sue opere piene de questi errori et de peggiori ma più coperti, como monstrarò un dì quando parerà alli mei patroni, tuttavolta sempre ho dissimulato el dolor che io ascondea per il zelo della chiesa di Dio et del Suo Vicario, et non per altro; cossì Dio mi adiuti, o ver mi confondi se altra causa mi move, anci sempre mi son sforzato farli tutte carezze ho possuto, et exhortarlo adiutar la Chiesia in queste fluctuationi, perchè l'acquistarebbe merito appresso Dio, et removerebbe la machia che tuttol mondo li dona, et li soi proprii, che lui sii Lutherano. Et benchè io sapesse che frustra laborabam, per chè a dir che lui scrivesse contra Luther sarebbe dir che scrivesse contra se medesimo, et abrusciasse primo li soi libri, excetto chel non volesse scriver de sorte che ognun cognoscesse . . .

127.

Joannes Matth. Giberti Aleandro.

(Nuntiat. Germ. L. 94.)

(22. Octobris 1521.)

. . . Mandasi a V. S^ria^ per ordine di N. S^re^ alcuni capitoli di lettere di Erasmo, acciò meglio intenda qual sia il suo animo; non di meno quello deve dissimulare et aspettare el tempo, non li dando in tanto cagion alcuna di far peggio, per non excitar maggior foco.

. . . È poi gionto fra Giovanni Brocardi, quale ho introdotto alli piedi di N. S^re^ et così il fratello di Sprengher. Sua

S[tà] ha visto volentieri l' uno et l' altro et fatto carezze et demonstration grande a fra Joanni et ha parlatogli molto dimesticamente sopra le cose di Martino et altre et poi ha fatto provederli per le spese et tutto et spero ritornerà presto et contentissimo.

È stato testimonio locupletissimo della fatiche et virtù di N. S. et meriti vostri a S. S[tà], la qual ho visto pigliarne grandissimo piacere. . . Da Roma alli XVII d' Ottobre 1521. (tenuta fino alli 22).

128.

Vicecancellarius Aleandro.

(Nuntiat. German. L. 92.)

(27. Octobris 1521.)

Havemo una vostra di XIII del passato¹) col libro impiissimo quale per la coniettura che ne scrivete et altri argumenti che omai più volte ha dimostrato di se stesso, et fra li altri che erano in quella polizza mandata dal Nuntio di Spagna alli nostri in Roma, che vi se ne drizzò copia, crediamo come voi che sia sua farina. Speriamo in Dio che in ultima et lui et li altri simili se accorgeranno della loro malignità et tardi se pentiranno. Voi seguitate con prudentia studio et patientia et usate li rimedii et medicine secondo el morbo, et quanto più si può ma con mansuetudine cerchi redurli et reparare; sete in fatto, et meglio che tutti conoscete quanto si convenga. La presentia vostra è pur anche cossì necessaria; però non è anche da lassare le cose così nè tornarvene a N. S. et a noi; attenta la importantia della impresa che havete sete molto più caro là per adesso, sì ben quanto all' animo nostro vi vorremo sempre appresso.

Per il Cocleo siamo per far ogni cosa, et certo N. S. gli ha messo affetto grande et noi molto lo amamo; faremo intendere da messer Andrea et dal Questemberg quali secondo noi sono stati negligenti in questa cosa et non si lasserà che fare

¹) Vere haec epistola respondit epistolae datae die Decimatertia Octobris. Dicendum ergo potius *del presente*.

acciò conosca che di lui si tiene quel conto si deve per la bontà et virtù sua; tenetelo intanto ben edificato et bene valete. Ex castris pontificiis et Caesareis apud oppidum Hostianum agri Brixiensis, XXVII Octobris MDXXI.

129.

Adrianus VI. Archiduci Ferdinando Austriae Sacri Romani Imperii gubernatori.

(Leonis X. et Clem. VII. minutae brevium Arm. XLIV. Nr. 8. fol. 70.)

(Circa finem anni 1522.)

Relatum est nobis cum summa molestia nostra et dignorum fide testimonio egre cognovimus: ymo exemplo litterarum cuiusdam Ulrici Hunten, quas hic accludi mandavimus et in Germania publicavit, vidimus, ex quibus se simulans causam suam contemplatione divinae iustitiae fundasse, viros primum bellatores ac omnes alios secum vocat concitatque ut contra Fratres ordinis praedicatorum et eis auxiliantes quos suos hostes appellat, omnibusque viribus suis agant, bona capiant eique auxilia contra eosdem praebeant, magno detrimento fidei Christi quam labefactare, ymo tanquam leo rugiens opprimere conatur, ac maximo periculo invalescentis lutheranae haeresis incendii cum fidelibus Christi veritatem verbi Dei audire non detur. Fili dilecte, novit nobilitas tua religiosa Deum omnipotentem Christum filium suum pro humano genere redimendo in hunc mundum misisse, imperium coeli et terrae ei dedisse, Christumque redemptorem fidem ipsam novo et aeterno testamento suo constituisse, ecclesiam suam super persona sua edificasse, Petrum vicarium suum totius Ecclesiae pastorem in terris, reliquosque apostolos fidei suae ministros Evangelii praedicatores per universum mundum declarasse. Nosti etiam Petrum Ecclesiae pastorem et apostolos ipsos in quibus Ecclesia ipsa et Christus fuit fidem ipsam in orbe praedicantes plerosque viros ubique qui evangelium creaturas docerent substituisse et universum pene mundum ad Christum ac ad veritatem convertisse; Romanos vero pontifices Petri successores Christi quoque vicarios, sanctamque Ecclesiam in quibus fides ipsa ymo Christus fuit et est, cursu temporum et opportunitate re-

quirente, plerasque religiones et ordines exemplaritate, sanctimonia ac hominum doctrina praestantes elegisse ac substituisse qui Christi nomen in orbis partes praedicarent, evangelium docerent, erroribus et declinantibus occurrerent, inter quos celeber ordo Praedicatorum est, qui religiosis viris singulari doctrina admodum floruit ac floret, titulo Praedicatorum merito decoratus quoniam inter caeteros ordines pondus veritatem indagandi, illam praedicandi, errantes instruendi, docendi, dolo vero et infidelitate insidiantibus resistendi, illos inquirendi, castigandi eisdem fratribus ab Ecclesia Dei Sancta creditum fuit ne christianae veritatis interpretatio iniquorum malicia in contrarios et haereticos sensus converteretur.

Quod autem Ulricus Huuten aut alii forte iniquitatis filii Martini Lutheri haeresiarchae sequaces animos hominum ac arma contra eosdem fratres suscitent et impellant nosce potest nobilitas tua, concitationes adversus praedicatorum fratres factas, contra Petri et apostolorum ymo contra Christi nuncios et contra ipsum Christum pro quo Petrus et Apostoli fuerunt et pro quo Romanus Pontifex et sancta Romana ecclesia in terris est, a quibus fratres ipsi mittuntur fieri ac fuisse factas; nec secus haec nunc ab Ulrico in Germania geruntur, quae contra eosdem fratres aut alios Christum et eius Evangelium in Turcas praedicare volentes omnes expulsos vel trucidatos et facta fuisse et fieri quotidie cognoscimus. Quibus rebus factum est ut populi rudes evangelium Christi recte audire nequeuntes adiuncta licentia libidinis a Christo se se separaverint ac spurcissimum et infelicem Mahumethum pro Deo colant adorent, tot exercituum animarum in Asia, Africa et Europae parte perditione et tanto fidei Christi detrimento eadem Maumethana mens (licet diversimode) in impiissimis Ulrici conatibus est nunc, qui personas et bona fratrum praedicatorum pro Ecclesia Dei sancta pro ipso Christo evangelizantium populis dirripenda tradit ut escha avaritiae et rerum novarum quibus populi oblectantur illos commoveat incitetque, et deficientibus in illa Germaniae parte ipsis doctissimis et fidelibus viris pro nobis et hac sancta Sede, pro Christo evangelizantibus et impietati iniquorum resistentibus, Ulricus ipse populos (qui plurimi ubique rudes sunt) a sanctionibus Ecclesiae Dei et ab ipso Christo separet et laqueis diaboli liget, Germaniam fidei propugnatricem persequutricem faciat, ex fidelissima Christi

infidelem reddat, animas perdat, sicut Maumethus tot provincias et quasi mundum a Christo separavit, cum daemonibus ligavit. Quamobrem dilecti fili nos quibus Dominus noster gregis sui curam ne corrumpatur et pereat credere dignatus est, nobilitatem tuam hortamur in Domino et per viscera misericordiae Salvatoris nostri obsecramus atque obtestamur, ut pro tua virtute, pro tua in christianam religionem pietate, proque tuo quo charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Regis in Imperatorem electi, Sedis Apostolicae advocati, teneris officio, hanc curam quam tanti vides esse momenti cunctis tuis curis una cum cura contra immanissimum Turcarum tyrannum anteponendam ducas; huicque in religione christiana impendenti calamitati, imminenti incendio ac Germaniae in toto orbe ignominiae mentem, cogitationes, auctoritatem et vires tuas convertas, illis omni studio et diligentia invigiles occurras. Itaque si Ulricus et sequaces sponte sua et monitionibus tuis ad cor, ad Christum, ad nos et hanc Sanctam Sedem pro eo vices gerentes quum nollemus mortem peccatoris sed ut convertatur et vivat, reverti, veritatem agnoscere noluerint, aut nostros ymo Christi nuncios Ordinis praedicatorum fratres ad praedicandum aut evangelium docendum, veritatem aperiendam, erroribus et haeresibus resistendum missos in persona vel bonis palam aut clam quomodolibet iniuriis aut damnis afficere, bellatores aut alios contra eosdem concitare perseveraverint, eosdem tanquam Christi persequutores adeo comprimas ut tandem metu poenae a Diaboli laqueis resipiscant neque fideles Christi ulterius molestare possint. Jubet enim Dominus impleri facies eorum ignominia et ad Deum converti.

Dolet orthodoxa fides Redemptoris morte in cruce constituta Apostolos suos in Germania benigne ac catholice recipi consuetos persecutionibus nunc et opprobriis affici, ab illa expelli; Nos autem pro ea qua te dilectione prosequimur et ex omnipotentis Dei nostraque et huius Sanctae Sedis parte Nobilitatem tuam ex abundantia charitatis requirimus ac rogamus ut praedicatorum fratribus Ecclesiae Dei Sanctae et Christi nunciis missis tua benevolentia faveas, eos adiuves et adeo protegas ac conserves ut nostras et huius Sanctae Sedis sanctiones quae Dei mandata sunt, et Christi Evangelium creaturis Germaniae tute ubique praedicare, docere, Ulrici et sequacium errores abolere possint, ut talis impietas et contra

Christi nuncios persequutio suscitata, te duce et auctore extinguatur et eliminetur, ut tua nostraque communis Germaniae secundum carnem patria in suum splendorem tituli propugnationis Christi fidei in toto orbe restituatur, ut te vocem Domini nostramque et huius Sanctae Sedis audivisse tuoque officio (quo Christo teneris) tuae virtuti, tuo et Germaniae decori nostraeque expectationi et religioni christianae promptissime (quemadmodum tale incendium exigit) ac astrictus es, cum Dei ac benedictione nostra consuluisse, remedia adhibuisse, ac talia indicia pro Christo et eius fide, pro universi salute, nostra quoque intercessione praestitisse cognoscamus et omnes intelligant, et quemadmodum charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Regem in Imperatorem electum, in novissimo conventu Wormatiae ex suo Ecclesiae Dei advocationis officio quo tu nunc in Germania pro Maiestate sua fungeris, contra iniquitatis filium Martinum Lutherium haeresiarcham tantorum malorum caput catholice fecisse meministi, Salvatore nostro, apud quem nullum bonum sine praemio est, quem tibi in cunctis propicium reddes te cunctosque gressus tuos gloria ac salute tua ob tale meritum tuum sua gratia benigne prosequatur.

130.

Epist. Lunni de Velthein.

(Acta Wormac. fol. 211.)

(1. Augusti 1523.)

S. D. Pervenit ad nos nuper dum Hallis ageremus, Rev. Pater, exemplum litterarum quarundam ad instar Brevis apostolici, ut appellant, ad illustrem Fridericum Saxoniae Regulum, Misnae atque Thyringiae principem a S. D. N. Hadriano VI Pont. Max. demissum, quod nostro iuditio satis accurate docteque conscriptum fuerat; verum Romanae Curiae stilum redolebat minime. Quae res revera non parum nobis, qui tum simul eramus et Curia nutriti romana et gemina Saxonia prognati, stuporis atque meroris attulerat. Stuporis inquam; vehementer namque addubitatum est ut vel litterae illae adulterinae pro legittimis nobis offerentur, vel quod Romana Curia praeter morem in hoc negotio commutarit stilum. Oramus

igitur ut si a Sancta illa Sede Apostolica emanarint, P. T. nos quamprimum certiores reddat. Meroris autem nostri causam longiori serie pertractandam opere pretium duximus. Primum quod S. D. N., tum sacer Cardinalium cetus, tum omnes qui Cancellarie, Camerae et Segretariae Romanae praesunt, (sicut nunc apud bonam Germaniae meae partem in quoscumque impune debacchari licitum est) tyrannidi et inscitiae arguuntur. Deinde quod Breve istud Germanos ac veros Saxones, qui tamen hoc lutherano toxico omnes fere immunes atque alieni sunt, condemnat. Absit tamen procul a nobis pium ac innocentem Pontificem atque Christi vicarium iustitiae polluere. Credimus equidem si hae litterae verae integraeque fuerint et titulum et nomen ducis quod insontes culparit Sanctitati suae imposuisse; quandoquidem nostra hac tempestate id periculosissimum et Sanctitati suae indignissimum putamus, nolim communem illam communis nostrae patrie calamitatem P. T. latere quod miseriae huic vel errori potius poterit consulere. Periculosissimum dixi, quoniam omnis pene Germania ad fontes usque Rheni et Histri etiam lutherana hac factione corrupta est. Sola Saxonia fluctuat; maior tamen pars et principum et plebis sectam illam aversatur et spernit, imo, quod rarissime apud alios Germanos auditum est, multos lutheranos ob istam vesaniam omnibus fortunae bonis spoliavit, plerosque exilio et carcere mulctavit. Postquam autem viderint se insontes atque absque culpa damnari, possent etiam contra animi sententiam obruti adfectibus a recto tramite dilabi et iusta ira complecti id quod temporum iniquitas et licenciosa suaderet libertas. Nec egre ferat obsecro. P. T. ineptas nostras, nam S. D. N. et Curiae Romanae precipuus amor periculumque patrie meror et indignatio me silere non sinunt, coguntque me rem Saxonicam altius repetere. Damnetur licet regulus ille Saxonie et omnes qui factioni huic adstipulantur, attamen Saxonum populum qui nec quippiam cum illo subditisque suis commertii habet detur venia oporteat; qui insontes sunt maneant illaesi et ab infamia illa immunes. Praeterea principes illi Misnae et Thyringiae alias illustrissimi nihil possident in Saxonia praeter arces quasdam et oppida duo Wittembergum scilicet et Oeckbergum quae tantae prope sunt ditionis quantae apud Italos Sutrinae et Nepentis, quae avo eorum eius nominis Friderico fe. re. Sigismundus Imperator cum titulo illo Saxonico

ante centum ac quindecim, ni fallor, annos donaverat, quas praeterea in effluxo illo tempore ad mores et linguam Misnensium, nam moribus et lingua Saxonia et Misna inter se multum variant, illexerunt. Vera autem Saxonia et qui linguam Saxonicam et mores profitentur, non minor est Italia quae suos habet principes tum ecclesiasticos tum prophanos, Ecclesias metropolitanas duas, cathedrales quindecim, Marchionem unum, duces praeter illos qui, ut dixi, titulo illo saltem condonati sunt, octo, principes duos, comites et barones multos, civitates munitissimas, qui omnes Romano Imperio, non Duci Saxoniae parent. Nec quisquam eorum principum nobilitate et populo principatuque ducibus Saxoniae, Marchionibus Misnae et Thyringiae cedit aut inferior est, omnes tamen sacrosanctae Sedi Apostolicae obedientissimi filii, indigni quidem propter enormem indulgentiam et litentiosam libertatem, quam Duces illi Saxoniae ab uno latere Misnensibus et Thyringis suis indulgent, contumeliam pati et infamiam, quorum olim statum, originem, conditiones, mores, pronuntias omnes nisi epistola in librum abiret, enarrare facile possem. Sed quia sacrosanctae Sedi deditissimi et huic lutheraane sectae invisi dictas litteras non aequo aspiciunt oculo, et ut fert natura, zelosi, in moerorem vacillantes et in iram concitantur, alitque facem vitulus monstrosus nuper Romae depictus et huc delatus, cui praeterea Saxoniae nomen adiunxit pictor, quem in Misna natus sit addidit, et nescio quae vana in infamiam Saxoniae carmina, quibus omnibus Lutherani contra Sanctam Sedem et S. D. N. pro consuetudine, abutuntur ut Saxones in suas partes protrahant. Sic ille populus vafer atque solers hos benefitiis attrahit, alios odio avocat, alios bonis adversariorum inescat, alios libertate donat, alios denique voluptate demulcet, ut difficile sit illis etiam saxa resistere. Sed petra iustitiae Saxones suos, qui a Saxo nomen accepere, miserebitur et tutabit. Paternitas tua ne innoxius populus ultra damnetur curabit; ego Deo adiuvante efficiam ut Saxonia fides, obedientia, zelus, charitas in Christum et Sanctam Sedem perspicacissima cognoscatur. Valeat Paternitas Tua et sui Lunni aliquando recordetur et commendatum habeat. Ex Norneburgst in penetralibus Saxoniae Anno MDXXIII Kalend. Augusti.

P. T. **Lunnus de Velthem D.**, Praepositus Hildesemens.

131.
Gustavus Rex Sueciae Adriano VI.[1])

(Arch. secr. Arm. IV. Capsa 2. N. 19.)

(10. Septembris 1523.)

Devota pedum oscula beatorum. Beatissime pater. Gratissimus erat nobis et universo populo nobis subiecto adventus reverendi patris domini Joannis Magni Gothi Legati et Commissarii sanctitatis vestrae ad nos in variis et arduis christiane religionis negotiis destinati, cui in omnibus votis sanctitatis V. quantum turbacio horum temporum sinebat annuimus; sed vehementer doluimus quod periclitantem statum Ecclesie Suecane ad integrum restituere nequiverit, obstante pie intentioni eius longa vacillatione chatedralium ecclesiarum que ad plures annos per terras nostras sine Episcoporum solatio fluctuaverant et adhuc miserabiliter fluctuant, quibus sic desolatis non videmus efficacem modum quo defectibus in Ecclesia Christi emergentibus plene occurratur. Videtur nobis quod ante omnia et quamtocius Episcopi per Regna nostra a S. V. restituantur; quod postquam Rome factum fuerit et prefatus Commissarius Sanctitatis Vestre ad nos denuo cum plena auctoritate Sedis Apostolice redierit, tunc ad eam informationem efficacius assisteretur ecclesiastice auctoritati et fidei christiane in omnibus illis negociis que iam Sanctitas V. per ipsum nobis commendaverat. In primis errores et perversas doctrinas Ecclesiarum Christi turbatrices iuxta Episcoporum consilia expellemus; deinde cogitabimus de meliori consilio quo schismatici moscovite nostro regno vicini ad unitatem Ecclesiae convertantur, terramque Lapponie Nostri Regni Suecie partem ab ydolatria ad Christianam *Ecclesiam* restitui faciemus. Nec omittere volumus quin aliquid auxilii contra Turci potentiam per subiectos nobis po-

---

[1]) Gustavus Erikson Wasa, patria liberata a dominatione Danorum, animo conceperat religionem sui regni immutare et lutheranae novitatis dogmatibus, sicut instrumento ad clerum et ecclesiam expoliandam, uti. Sub protectione regia permisit Olao Petri et aliis occultis lutheranis novam doctrinam praedicare. Eodem tempore Joanni Magno Pontificis legato et Gustavo Braskio episcopo promittebat defensionem et tutelam catholicae ecclesiae. Ipsius duplicitatis novum hoc documentum edimus quo Pontificis auctoritatem luculentissime recognoscitur a rege.

pulus conferre faciamus. Dummodo liberalitatem Sedis Apostolice in nostris votis que idem Commissarius ad Sedem Apostolicam defert experiamur. Qui etiam nos ex parte Sanctitatis vestre monuit quod curam ecclesiastice libertatis agere vellemus. Novit Deus quantum in ea parte laboravimus, quot bellicos sudores contra atrocissimum Ecclesie hostem Christiernum Dacie regem sustinuimus, quem tandem Deo assistente devicimus et a regnis Aquilonaribus deiecimus. Nam sicut nunc ita etiam a principio regni nostri non minus Ecclesie quam corone rationem habuimus, parati prius mortem sustinuisse quam occisio Reverendissimorum Episcoporum ac aliorum Ecclesiae prelatorum per eundem Dacie regem patrata inulta mansisset. Et quia libertatem Ecclesie tot periculis peperimus eam nequaquam infringi patiemur, dummodo Sedes Apostolica tales episcopos per terras nostras ordinaverit qui suis limitibus contenti pacem et concordiam inter subditos nostros procurent et servent; fuerant enim superioribus annis (quod dolenter referrimus) nonnulli Episcopi nobiscum qui magis ad patrie perturbationem quam ad conservacionem christiane religionis constituti videbantur, ob quorum temeritatem tam ecclesiastica dignitas quam secularis potestas in summas calamitates ceciderat. Quibus periculis non dubitamus quin Beatitudo Vestra quam omnes et re et nomine sanctissimam predicant occurrere velit, constituendo nobis episcopos qui ita ecclesie libertatem defendant quod corone regie in nullo noceant; quod non ideo petimus quasi vellemus tollere liberam episcoporum ordinationem a Sanctitate vestra que iam sanctissimis suis moribus Ecclesiam Christi ut percepimus reformat, sed ut firmam amicitiam que hac tempestate inter viros ecclesiasticos ac seculares valde necessaria est, connectamus. Qui vero nobis grati et Ecclesie utiles erunt satis ostendimus prefato domino Johanni Gotho S. V. legato, cui in omnibus nostris negotiis et vacationibus Ecclesiarum eam fidem apud Sanctam Sedem Apostolicam dari petimus que nobis apud eam agentibus prestaretur. Is enim totam mentem nostram circa bonam reformacionem Ecclesiae Aquilonaris perceperat, tantumque fidei apud eius industriam reponimus quod ipsius moderacioni totum pondus reformande Ecclesie per terras nostras a S. V. committi vellemus, firmiter nobis suadentes quod per eum religio christiana incrementum felix suscipiat et S. Sedis

Apostolice auctoritas in perpetua gloria conservaretur, quem etiam non secus ac personam nostram Sanctitati vestre commendamus. Que diu et felicissime maneat. Datum in civitate nostra Regia Stocholmen. Anno domini MDXXIII, X die mensis Septembris, nostro sub sigillo

Gustavus Dei gratia Suecorum
et gothorum Rex.

Foris: S^mo Dno Nro Pape.

De mandato sere^mi d. n. Regis
Andrea, secretarius.

132.

Erasmus Roterodamus Card. Campegio.

(Acta Wormac. fol. 191.)

S. P. R^me Domine. Ad licteras R. D. E. quas una cum Pacaei nostri licteris accepi, per morbum non licuit respondere, nisi quod tum pauca dictavi famulo ad Pacaeeum, quae tibi si commodum esset communicaret. Animum istum tam amicum, et candidum ego, ut debeo, exosculor unice, daboque operam, ut illi pro viribus respondeant. Unam epistolae tuae particulam non satis intelligebam, in qua scribis me scire, quid isthic ageretur, Paulo post ex Noremberga missae sunt ad me novae *stunicae* conclusiones: et praeter has promittit tres libellos, quos vetitus aedere vestra et Pontificis Adriani auctoritate. De hoc suspicor sensisse tuam epistolam, demirer hominis audaciam. Exorsus erat hanc fabulam sub Leone, nec profecit. Rursus eo mortuo, quum rediret ad veterem fabulam, vetitus iterum atque iterum aedicto vestro, furtim emisit unum atque alterum libellum: Rursus apud Adrianum VI egit, ut liceret aedere treis illos libellos, in quibus declaravit quantum possit insanis conviciis; ille pernegavit, nunc in interregno, vobis de novo Pontifice satagentibus, emisit suas conclusiones plane sycophanticas. De quibus plane dubito an sint Stunicae. Suspicor esse alicuius lutherani, qui vel voluerit me in partes suas pertrahere, vel ulcisci, in nullum nisi magis fremunt, quam in me, cui uni imputant, quod non plane triumphent quamquam nondum abiecerunt spem victoriae. Quod si Stunicae sunt, non miror, quum illo in Sua Hispania semper habitus sit pro fatuo, et libri hominis satis declarent eum non esse

sani capitis, nec sine causa in clypeo gestarc canetam. Magis in illis desidero vel aequitatem, vel prudentiam, quam ut, qui hominem ad ista instigant. Primum quid iniquius, qui tot meis lucubrationibus profui studiis publicis, qui nec magnorum Principum sollicitationibus, nec ullis eruditorum illecebris nec inimicorum odiis potui vel pertrahi, vel pellici ad foedus Lutheri, sed omnibus et commodis, et incommodis contemptis perstiti in synceritate mea, non sine capitis mei periculo, nunc dedar odiis privatis paucorum hominum, et qui hic proscindor virulentissimis libellis lutheranorum, isthic manifestissima calumnia circumferar lutheranus? Deinde quam inutile ad causam, quam moliuntur, si persuadent me sentire cum Luthero, plures erunt, qui libentius cum eo sentient. Romae Stunica blaterat me esse lutheranum. At tot lutheranae cohortes, et complures lutheri epistolae reclamant. Quarum unam mitto ipsius manu scriptam. Nulla re mihi videbar beatior, quam amicitiis eruditorum, in quibus conquiescebam, quorumque plerique favent Luthero, tametsi quidam dissimulant. Hos nunc aut habeo palam hostes, sic ut furiosis libellis in me debachentur, aut insynceros amicos. Non me poenitet huius animi, malim vel vitae iacturam facere, quam adiungi factioni. Non scripsi in Lutherum; imo multa scripsi, quae res illos habet pessime. Nec interim nihil egi, mihi crede, multos sanavi iam addictos isti foederi; multos revocavi ne accederent, multos moderatus sum ne nimium accederent. Neminem quidem conieci in vincula, sed plus efficit qui medetur animo, quam qui corpus affligit. Coeterum quo minus adhuc totis voluminibus impetierim Lutherum, illud potissimum in causa fuit, quod plane perspicerem me nihil aliud profecturum, quam ut tumultum hunc renovarem. Et tamen quoniam urgent Principes, praesertim Rex Angliae, aedam librum adversos illum de libero arbitrio, non quod confidam id profuturum, sed ut declarem Principibus esse verum, quod mihi noluerunt credere. Mea valetudo talis est, ut quotidie parem me in illum supremum diem. Quominus velim admittere quod Christum offendat vestra aequitas, atque huius Pontificis ab omnibus praedicata prudentia, mihi bonam spem facit, vos nihil odiosius in me decreturos. Quod si fieret, eadem opera et Lutheranae factioni rem longe gratissimam facietis, ac pluribus summatibus viris longe molestissimam, quos mihi meis studiis devinxi favore

non exambito. Quorum est noster Carolus, et in huius aula multi, Rex Angliae, Archiepiscopus Cantuariensis, ut ne commemorem tot Principes, tot Episcopos, tot eruditos, et honestos viros non solum in Anglia, Fladria, et Gallia, Germaniaque, verum etiam in Hungaria, et Polonia, qui vel se putant debere multum laboribus meis, vel certe me de publicis studiis benemeritum esse. Horum animos discruciaret, si liceret quibusdam, qui privato ducuntur odio, perficere quod iampridem moliuntur. Et ego illorum dolore magis dolerem quam meo. Multa scripsi sed saeculo tranquillo, quod si suspicatus fuissem hoc saeculum exoriturum, longe aliter scripsissem multa, aut non scripsissem. Certe in hoc rerum tumultu sanctissime me gessi, et gesturus sum usque ad mortem. Nullus haereticus, aut schismaticus meis opibus adiuvabitur. Ad Stunicae calumnias verius quam conclusiones strictim respondi. Talis Rabula multum odii conflabit Sedi Romanae suis sycophanticis libellis, quibus nulli magis applaudunt, quam valde lutherani. Si quid inveniretur in libris meis, quos multos aedidi, scriptum incautius, poteram secretis literis admoneri, monitus libenter mutarem. Nunc paratur quarta novi testamenti aeditio; homo sum, errare possum, tametsi sedulo caveo, ne quid sit in libris meis, quod vel seditionem moveat, vel aberret a synceritate doctrinae christianae. Excuditur nunc Paraphrasis in acta Apostolorum, eam dedicaturus eram Card. Angliae, qui nuper ad me scripsit amantissime, subsignificans per secretarium se tale quiddam cupere, sed magis libuit dicare Clementi VII. Quem Pacaeus mihi mire depinxit in suis ad me literis, significans etiam illud, quo favore esset in me. Adnitar ne videatur omnino favisse homini ingrato. Cesar me revocat in Brabantiam: Rex Galliae in suam Galliam magnis promissis invitat. Adrianus me saepe invitabat Romam. Sed vereor ne Rex calculus me transmittat in coelestem patriam. Quod si praeter spem acciderit valetudo firmior, nusquam malim animulam ponere, quam Romae. Nam Germaniae me iampridem taedet, ubi nec satis tuto vivo propter lutheranos, qui neminem peius oderunt, quam Erasmum. Cum Gallo bellat Caesar, cui iuratus sum Consiliarius; in Flandria tumultuatur bellis. R. D. T. incolumen ac valentem servet Christus Opt. Max.

E. R. D. addictissimus **Erasmus Roterodamus.**

133.

Martinus Luther Conrado.

(Acta Wormac. 193.)

(1. Octobris 1523.)

Gratia et pax in Domino. Tu potius optime Conrade pro me ora, quanto nunc tu maiore ocio donatus es, et pietate me superas; opto sane, et oro Dominum Jesum, ut tibi quod petis linguae donum impartiat in laudem gratiae suae. Coeterum quod scribis ne iriter in Erasmum, ante impetratum est quam rogasti. Equidem Huttenum nollem expostulasse, multo minus Erasmum abstersisse; si hoc est spongia abstergere, rogo quid est maledicere et convitiari? prorsus frustra sperat Erasmus sua rhetorica sic omnibus ingeniis abuti, quasi nemo sit, imo quasi pauci sint, qui sentiant, quid alat Erasmus. Sic pro se scribit Erasmus, optabilius est ut contra se scribat. Incredibilem nisi et nominis, et autoritatis iacturam fecit hoc libro, ut me plane hominis misereat, qui ad causam nunquam accedit, et sic in vitia amicorum iam secundo sevit, quum in verum hostem fuerit tam lenis et ipse alias omnes in maledicendo etiam inimicis, sic dehortatur, ac valde detestatur. Ego semper causam expectavi cur ageret. In mores facile est rhetoricari. Porro edita est et mea epistola de Erasmo privatim scripta. Deinde alia ad Fabritium, quod me vehementer male habet, quamquam nullius verbi me pudeat, si palam sit defendendum; piget tamen publica fieri per importunos istos (nescio quomodo vocem) delatores, quae privatis amiculis scribuntur; porro mihi Erasmi scriptis sicut nihil nocet, si adversetur, ita nihil magis confidam, si patrocinetur. Ego habeo qui iam defendat, etiam si totus mundus in me solum insaniat; id quod Erasmus in me vocat pervicaciam asserendi, sed qui video hominem esse tam longe ab intellectu Christianarum rerum (quod hactenus non putaram, etsi aliquando suspicarer) facile patiar, ut me vocet quocumque volet nomine, donec causam attingat: propositum est omnium mihi, neque vitam, neque mores velle tueri, sed solam causam, lacerent me, moresque meos, quicumque velint, sicut hactenus feci, imo illis plane vitam ipsam in corpore debeo, et magnam partem fiduciae fretus mei, qui mihi

atrocissime maledicunt ac traducunt, tantum abest ut vellem Erasmi glorie aut nominis vehi. Meror est mihi et timor in laudibus mei, gaudium vero et securitas in maledictis et blasphemiis. Si haec sunt Erasmo mirabilia, nihil mirer, discat Christum, et malefaciat humanae prudentiae, et verum sentiet esse quod dico. Dominus illum iuvet: eum etiam alium faciat virum ex Erasmo, et omnes nos simul servet, et augeat; hoc opto ex animo, quantum donatur optare. Vale mi Conrade, et Erasmum, si patitur, saluta nomine meo; nihil in me est asperi, sed verae misericordiae, quam si contemnit, et magis forte sperat, quae ipse cogitat, libens perdidero et hoc votum.

Wittembergae prima Octobris 1523.

Tuus Martinus Luther.

134.
Card. Moguntinus Clementi VII.

(Epist. principum II. 115.)

(9. Decembris 1523.)

Orbis Christiani calamitatem post fe. re. Adriani VI pontificis maximi fata ac Reverendissimorum dominorum meorum S. R. E. Cardinalium in novi Romani Pontificis electione diuturnam moram ac procrastinationem, dolenter mecum subinde animo revolvens, quantumque in nuper expugnata captaque insula Rodo perfidissimo Christiani nominis hosti Turcharum tyranno virium accesserit, et miseris christicolis mutuis in sese versis armis et iugibus conflictationibus iacture et incommodi illatum sit, et denique quam a nobis ipsis perniciosissimis nonovitatibus luthereanisque heresibus non minus infeliciter ac crudeliter anime quam a perfido hoste Thurca christianorum corpora perdantur iugulenturque perpendens, Beatitudinem V. a Deo optimo maximo mortalibus Pontificem prestandum ardentissimis votis postulandum duxi, ratus ita complorate christiane reipublice a superis consultum iri, darique pro magnitudine animi vestri ac incredibili rerum gerendarum dexteritate ac prudentissimo iudicio virtutis sue illustrande materiam si maximus ac fortissimus vir et pontificatu dignissimus periculosissimis et gravissimis rebus quibus orbis universus est implicitus obiiceret. Dum hec meditor et iam iam mora ipsa in eligendo

novo pontifice mihi quam molesta esse cepisset, ecce affertur nuncius quo nullus unquam allatus vel optatior vel iucundior quo Beatitudinem vestram pontificem creatum ac declaratum et patrum omni calculo Christi vicarium designatum significatur; unde tam incredibili gaudio affectus sum ut prorsus dubitarim cui potissimum gratulari debeam, Beatitudini V. cui tantus pontificatus (ut audio et quod optabam) nec petendi nec cogitandi contigerit, an pontificatui ipsi ac summo orbis ecclesiastico magistratui qui nunc tandem splendidior magnificentiorque videbitur, postquam tali viro delatus est, qui suis virtutibus et ornamentis sit dignitati ipsi quam suscepit plurimum maiestatis allaturus, an potius christiane reipublice que talem sit pontificem habitura qui clavo fluctuantis apostolice cymbe assidens nauclerus, ab impingentibus in eam motibus hinc sanguinariis Thurcarum armis, illinc heresiarcarum tempestatibus ac impetuosis procellis, Deo concedente, fortiter ac strenue ipsam ab omni iniuria vindicare, eandemque prudenter moderari regereque valeat. Proinde o diem letum christiano orbi candidissimo notandum calculo, et mihi precipue pro incredibili mea in S. V. summa semper observantia nec unico margarito signandum. Itaque in primis B. V. ut pontificatus iste ipsi sempiterni laudi sit reipublice perpetuo faustus et felix exopto, eandemque B. V. uti verum Christi Servatoris nostri in terris Vicarium ac indubitatum Petri successorem Romaneque et universalis ecclesie pastorem atque pontificem reverenter saluto atque adoro, proque debita ac filiali obedientia mea, quantum per absentiam licet S^mos^ pedes devotissime exosculor, oroque ut me olim clientulum suum et addictissimum servulum et nunc S. V. obedientissimum filium ecclesias meas omnes, ac denique universam meam familiam sub ipsius umbram utpote pientissimus et clementissimus Pater clementer paterneque fovendum tuendumque suscipere complectique dignetur. Et bene et feliciter valeat B. V. quam Deus omnipotens ad orbis tranquillitatem et fidei sue exaltationem christiane reipublice gloriam perpetuum servet incolumem.

Datum Hallis die IX Decembris MDXXIII.

135.

Ferdinandus Arch. Austriae Clementi VII.

(Epistolae Principum. I. 7.)

(17. Decembris 1523.)

Commisi nobili fideli nobis dilecto Don Petro de Corduba Comiti Caprae militi ordinis sancti Jacobi consiliario nostro et supremo scutifero, ut post gratulationem nomine meo factam et paratissimam obsequiorum meorum tanquam obedientissimi filii sui exhibitionem, nonnulla S^ti^ vestrae declaret quae concernunt necessitates meas et damna quorum partem iam per perfidos hostes Turcos accepi, et certa etiam maiora manent non solum ab eis, sed etiam domesticis inimicis qui Daemonis instinctu Evangelicam charitatem praetexentes ira intus et odio stimulati, gregem Christi in hac natione nova doctrina imbuunt, sanctissimi Pontificis nomen proscindentes et quotquot absque delectu etiam qui ab ecclesiasticis ritibus et sacramentis adhuc stant nihilipendentes. Praeterea certas mihi factas gratias et paternas ab ista Sede provisiones exponet, quas non solum a Beatitudine vestra ratas et gratas, verum etiam, ut est beneficentissima, ampliores locupletioresque speraverim me impetraturum, maxime quod ego dies noctesque meditor et cogitem de modis quibus adversus Turcum hostem communem christianae fidei et sectatores nimis alte iactorum zizaniae germinum me obiicere possim, sicut latius ex praefato oratore meo haec omnia et quae ex illis dependent, intelliget. Rogans omni filiali studio paternam clementiam vestram ut non modo ipsi referenti aures suas prebere velit, sed etiam cordi, et ea fide percipere ut ipse sentiam et opem et consolationem B^is^ Vrae. Nam eo res rediit ut meis viribus longe impar sim ut vel alteri hostium me opponam. Et tamen decimus, ut aiunt, conatus tentandus est, quem alacri affectu intrepidoque et infracto animo ipse ego experiar dum mihi vires aliunde suppeditatae fuerint, quas, ut confidenter requiro, ita propter comunem necessitatem, neque enim soli mihi seram et metam, me spero reportaturum a Beatitudine Vestra. In qua mihi adhuc una salutis spes manet, cuius effectu ut dignissimus faciat Christus, sine cuius favore quidquid mortales agunt, fumus est

et umbra. Hunc interim ego iugibus precibus pulsabo, ut tandem aperiat, misereque afflictam christianitatem respiciat et sanctissimum pastorem aequeque vigilantem quam diutissime conservet. Datum Nuerembergae die XVI Mensis Decembris MDXXIII.

136.

Clemens VII. Marchioni Brandeburgensi.

(Brevia Clementis VII. Ann. 1523. fol. 129, anno I. ep. 68.)

(24. Decembris 1523.)

Dilecte fili etc. Audito per nos nuper Nobilissimum Germanorum Principum Conventum Norimbergae habendum, laeti id, ac multo laetius accepimus Nobilitatem tuam eo conventuram esse. Ubi enim tot Orthodoxi Principes in Domino congregentur, tuque in primis accedas, sperandum est ibi de universali fidei christianae commodo et salute, aut potius de tot malorum remediis tractandum ac providendum esse. Ea de causa ne nos pro nostro pastorali officio tam ornato conventui deessemus, statuimus, de venerabili fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Nuncium istuc Apostolicum apud istam inclytam nobis semper dilectam Nationem postea semper remansurum, mittere; qui dum se expedit, atque accingit, iussimus interea dilectum filium Hieronymum Rorarium familiarem, et camerarium nostrum exhibitorem praesentium eo praecurrere. Cui quidem in mandatis dedimus, ut Nobilitatem tuam, quam in minoribus constituti peculiariter dileximus, sumusque deinceps paterne dilecturi, adeat, nostramque ei ad commune bonum propensam voluntatem exponat, plenius ab illo, qui subsequetur explicandam. Nos autem Nobilitatem tuam pro tuo officio, quum sacri Imperii Romanae Ecclesiae advocati membrum, atque Elector his paterne hortamur, et ex animo requirimus, ut ad dignitatem Apostolicae Sedis, imo salutem et tranquillitatem totius Christianae Reipublicae, sanctamque fidem tuendam incumbas, sicuti tui maiores, quorum gloriam in ceteris auxisti, non minuisti, incubuerunt, et te incubiturum confidimus. Haec autem Hieronymus ipse pluri-

bus verbis explicabit, cui super his cupimus a Nobilitate tua fidem adhiberi.

Datum etc. 24. Decembris 1523 anno primo.

Simile duobus Nobilibus in albis, omisso electore.

Simile Duci Saxoniae.

137.

Clemens VII. Episcopis theutonicis.

(Epist. Clem. VII. ann. 1523. A. I. N. 69 fol. 131.)

(24. Decembris 1523.)

Venerabilis frater etc. Cum de Venerabili fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio Nuncium Apostolicum in Germaniam presertimque ad conventum Norimbergensem propediem missuri, interim dilectum filium Hieronymum Rorarium familiarem, et camerarium nostrum praesentium exhibitorem ad dictum conventum praemittamus, has ad fraternitatem tuam scribendas duximus, tanquam eam, in cuius pietate erga Deum, benevolentia in nos, atque observantia erga hanc sanctam Sedem multum spei reponimus; hortantes illam, ut ipsum Hieronymum nostro intuitu dirigere, et fovere velit, ubicumque esse apportunum viderit, immo ut ulterius, sicut eam hactenus fecisse scimus, ad decorem Dei, et Suae Sanctae Ecclesiae fideique orthodoxae conservationem pro officio boni pastoris invigilet, ut ab ipso Deo praemium et a nobis atque hac Sancta Sede commendationem, et insuper quam poterimus retributionem reportare possit, quaemadmodum haec latius idem Hieronimus nostro nomine fraternitati tuae explicabit, cui super his fidem adhiberi cupimus.

Dat. 24. Decembris 1523 anno primo.

Simile Episcopo Brambergensi; Episcopo etc.

138.

Clemens VII. el. Gurgensi Cons. Archiducis (Hier. Balbo.)

(Clem. VII. Papa. L. I. ep. 70. fol. 132.)

(24. Decembris 1523.)

Dileti fili etc. Quum Germanorum Principum conventum Norimbergae habendum esse nuper accepissemus, statuimus de venerabili fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio Nuncium Apostolicum eo destinare ne tanto ac tam ornato conventui, his praesertim nostri Pontificatus initiis deessemus. Cui tamen Nuncio non tam festine properanti interim Hieronymum Rorarium familiarem et Camerarium nostrum, qui has reddet, precurrere iussimus, hunc autem et illum alium subsecuturum tuis ambos consiliis dirigi et tui inclyti Archiducis favore in omnibus niti, *si quid inciderit*. Quorum quidem benevolentiam in Nos, atque in hanc sanctam Sedem observantiam multis in rebus habemus perspectam, illum facturum, et te curaturum pro vestra consuetudine non ambigimus. Nos vero tu pro ingentibus meritis tuis, non minus in ornanda tua pietate, quam elicienda paratos invenies; quaemadmodum haec pluribus verbis dicet idem Hieronymus, cui super his cupimus fidem a te adhiberi.

Dat. etc. 24 Decembris 1523 Anno primo.

139.

Clemens VII. Archiduci Austriae.

(Clem. V. Epist. Lib. I. ep. 71 fol. 133.)

(24. Decembris 1523.)

Dilecte fili etc. Post eas litteras, quas ad tuas responderamus, tuamque in nos pietatem commendaveramus, auditum a nobis est, quam celebris Germanorum Principum Conventus Norimbergae indictus sit, eo et Nobilitatem tuam conventuram. Quod quidem nobis fuit valde iucundum intelligere. Nam, te praesente, et ut par est, praesid[illegible] [illegible]ubitamus de[illegible] commodo huius Sanctae Sed[illegible] [illegible]s Christia[illegible]

publicae, cui studemus, consultum iri, quum habeas in hoc laudis genere non solum maiores tuos sed te ipsum, quem imiteris. Nos vero tam pro Nostra erga Nobilitatem tuam, totamque Germanicam Nationem paterna et peculiari benevolentia, quam pro eo studio, quo in universale bonum incumbimus, tali ac tanto conventui deesse, aut abesse nolumus. Itaque istuc Nuncium Apostolicum de Venerabili fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, propediem missuri; interim dilectum filium Hieronymum Rorarium familiarem, et Camerarium nostrum, qui has reddet, mittimus, quasi illius alterius praecursorem. Quem quidem ad Nobilitatem tuam, et egregia in Deum pietate, et erga hanc Sanctam Sedem observantia semper spectatam in primis dirigimus, et illum alterum mox dirigemus, ut ambo Nobilitatis tuae consiliis dirigantur, et auxiliis iuventur. Nos etsi supervacaneo, tamen nobis incumbenti officio, Nobilitatem tuam hortamur, ut Christianae fidei, et Apostolicae dignitati pristinum amorem, ac devotionem conservet. Sic a Deo non conservabitur solum dignitas tua, sed augebitur, sicut fore speramus, et ut fiat, Deum oramus. Quemadmodum haec pluribus verbis dicet idem Hieronymus, cui a Nobilitate tua super his cupimus fidem adhiberi.

Dat Romae etc. XXIV. Decembris 1523 anno primo.

140.

Clemens VII. Archiep. Treverensi electori Imperii.

(Clem. VII. Epist. L. I. ep. 72. fol. 134.)

(24. Decembris 1523.)

Venerabilis frater etc. Quum nuper audiremus conventum Principum Norimbergae habendum esse, quo et fraternitas tua proficiscatur, Nos quemadmodum de tua inibi futura praesentia gratulati nobis fuimus, ita has Nostras fraternitati tuae praecipue scribendas duximus. Quibus sane primo nostram voluntatem in fraternitate tua tam de nobis et sancta fide benemerita, semper ornanda pronam et facilem tibi offerimus. Deinde etsi non pro necessitate, tamen pro officio nostro te hortamur, ut te ipsum deinceps imiteris, quo amplius optare

non possumus. Quum autem de Venerabili fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio Nuncium Apostolicum non minus ad totam istam nationem nobis valde, ac semper dilectam, quam ad istum ornatissimum conventum missuri propediem, interim dilectum filium Hieronymum Rorarium familiarem, et Camerarium nostrum istuc mittamus, iusserimusque eum adire atque alloqui fraternitatem tuam, et eius consiliis inniti, gratum nobis illa faciet, si suam in Sedem Apostolicam pietatem, ac pristinam erga nos benevolentiam hac quoque in re ostenderit, ipsum Hieronymum, siquid ad Nos spectans acciderit, benigne fovendo et pie dirigendo. Quemadmodum ipse pluribus haec verbis dicet super quibus ei cupimus fidem per fraternitatem tuam adhiberi.

Dat. Romae etc. XXIV. Decembris 1523. Anno primo.

Simile Archiepiscopo Coloniensi.

Simile Comiti Palatino, et Lantgravio Assiae, mutato frater in *Nobilis*.

141.

Joannes Hanerus Clementi VII.

(Epist. Principum II. 130.)

(5. Januarii 1524.)

Conflictatur iam nunc Germania nostra sex perpetuis annis super Christo, super Evangelio, et quanto facit hoc annixius eo minus mihi et Christi et Evangelii habere videtur. Caussa est quod per invidiam, ut Apostolus ait, et contentionem res agitur, non vere huic morbo cum iam diu circumspicitur et differendo crevit et quorundam item morosiore opere etiamnum peius habere cepit; verum ne res tandem in ingens christianae reipublicae discrimen abeat, maturanda consilia puto et super opportuno remedio cogitandum, idque postpositis etiam reliquis omnibus tum curis tum negociis. Nam non tantum christiano orbi, mea sententia, ex Turca periculi imminet, quantum ex hac una impietatis factione; cantilena enim vulgo canitur, non tam novarum rerum quam libertatis cupido, accenduntur et principum quorundam studia, quod vel nominis inde perpetuitatem vindicare sibi cupiunt, aut certe se ultum iri adversus eos quos implacabili odio prosequuntur.

Civitates quoque huic negotio minime desunt, quod se hac potissimum via a ceteris quoque regum ac Imperatorum oneribus excutere sperant; super hòc commune in ecclesiasticos odium est. Sunt et alia quae causam hanc certe non modo adiuvant sed et vehementer irritant, quibus omnibus una tandem opera succrescendi erit et minime quiescendi, verum quam primum nato iam dudum incendio ac alito obviandum, idque non nisi commodo remedio ac valente restinguere ne item posteriora illius fierent peiora prioribus. Super quo quid mihi conducere visum, non abs re fore putavi T. S. commonere.

Principio cum nulla nisi Verbi causa agatur, nihil etiam nisi verbum sit Dei apud nos audiatur: respiciendum super spiritualibus armis est et potentibus ex Deo adversus omnem munitionem, quibus non solum impiorum consilia demoliri oportet, sed et omnis illorum celsitudo deprimenda est quae se extollit adversus cognitionem Dei, per quae etiam cogitationes multorum captivandae sunt ut obediant Christo. Haec autem arma Dei sunt baltheus veritatis, thorax iustitiae, calceus evangelii, scutum fidei, galea salutis et gladius spiritus qui est Verbum Dei. Quod si vel carnis impietas aut diaboli forte assultus his cedere non vellet, tunc in promptu sit nobis vindicta, adversus omnem inobedientiam. Haec ideo Sa T. commonere velim quod non suadeam quippiam per potentiam agi, qui si ita conducere videtur etiam sponte aliquid de eo remittere, ceterum causam virtute Verbi ex vero agendam, dissimulato interim quidquid ipsam exasperare possit; nam sic captivari puto abductas conscientias, si Christi causam agi viderint non nostram, et proculdubio nostram nobis manebit gloriam, modo Christi gloriae syncere studeamus. Res ergo verbo agenda est et veritate, tyrannide nulla, nulla violentia, nisi sicubi verbi per quos veritas fuerit spreta; at interim multorum abductorum fratrum habenda est ratio ut redimantur. Utendum ergo de viris theodidactis et adflatis, quibus scilicet et Verbi iudicium est et spiritus unctio; hii enim tantum spiritualium armorum periti, gladium spiritus qui est verbum Dei utraque manu versare possunt; in quibus certa prima post Deum spes est. Deinde conventus ille Principum Nurembergae minime negligendus, sed mittendus vir gravis et eruditus, gnarus verbi et cui non desit quoque spiritus iudicium. Post Carolus ac ceteri reges et principes non

modo demerendi sed et verbo erudiendi sunt atque eciam, si ita opus sit, armis spiritualibus expugnandi; Episcopi sui officii commonendi, civitates in officio continendae, gymnasia adhortanda, monachi excitandi, docti ubique spe et pollicitatione alliciendi. In quibus certe non minimum pondus, mea opinione, situm est. Perpurganda quoque rudera Curiae, curtisanorum scilicet fex, bonique tantummodo ac docti, in quibus semper presidium in promptu est, provehendi; id quod certe T. S. erit in primis curare; atque ut idem fiat a Patribus ab Episcopis tua auctoritate intercedere. Nam si horum hactenus maior fuisset habita ratio, certe non tam pessime hodie Ecclesiae negotium audiret. Postremo Germaniae nostrae gravamina relaxanda erunt, ita enim non paucorum animos T. sibi S. demerebitur. Novissime vero omnis Ecclesiae facies, quae certe non una parte deturpata est, reformanda erit. Haec si T. S. promiserit prestiteritque dubium mihi non erit presentem posse tempestatem sedari. Suadeo tamen interea et in Urbe et in Orbe ac passim per singula monasteria crebras precaciones fieri, indici ieiunia, Deum communibus votis ac lacrymis exorare, ut nos ab hac temporum malitia liberet, et procul dubio nos non deseret, sed et sponsae Sanctae Ecclesiae exoptatam donabit pacem. Unum superest quod his turbis sedandis aliquid, ni fallor, emolumenti adferet. Hoc est si caveant principes caveant et civitates, nulla clancularia fieri conventicula, nullas conspirationes; res enim magis factione quam pro veritate agitur; deinde sediciosae ut in publicum declamationes prohibeantur simul et qui famosos libellos vel edunt vel excudunt aut etiam divendunt ut puniantur; deligantur quoque qui perquirendis illis presint simul et concionantes observent. Episcopi etiam auscultatores decernant qui horum dogmata diiudicent.

Haec pro mea temeritate, Beatissime Pater, pluribus forte quam opus erat, T. S. commonere volui, non quod dubitem adesse tibi qui S. T. similia et saniora suggerant, sed quia me officii quoque mei rationem habere oportuit; nam ubi commune periculum imminet, ibi certe in publicum consultandi omnibus aequa facultas est. Vellem ego hunc animum meum in litteris esse, ut scilicet non consiliis modo sed re quoque et opera turbatam Ecclesiae pacem vindicarent; verum mutescunt gymnasia, dormiunt monachi et pauci admodum sunt qui se

nimirum opponunt pro Israel; quod si quis forte etiam est qui velut alter David adversus Goliath illum congredi auderet, tamen tam presentia pericula sunt, tam certa infamia ut et audentem deterrere possint, ac iam plane ausum pedem etiam referre cogere. Ita solis conviciis, nullis rationibus aut argumentis res agitur. Hec T. S. labori mercedem proponere deberet et puto progressuros multos qui se sic domi in angulis continent. Ego certe, ut nihil ambio, ita me sponte mea atque adeo rerum, famae ac capitis mei periculo, me inquam sum illis obiecturus, non ob aliud certe nisi quod Christi synceram cognitionem, quod Evangelicae veritatis sanissimam doctrinam ab his corruptoribus assertam esse volo. Christus, oro, quod in me cepit confirmet in finem. Spectatorem me hactenus causae prebui, magis quam actorem; quo factum ut huius mihi partes hactenus non vendicaverim; verum cum res semper evadat in peius et non sit superbiae modus ullus, testabor et ego iam tandem operam meam mundo. Ubicumque autem hi mihi conatus casuri sunt, certus sum vota mea sanctissima esse. Sunt mihi sub incude libelli quidam et meditor simul in dies alios qui, si quandoque prodierint, puto non nihil virium decessurum adversariis. Reliquum est quod S. T. etiam atque summis adeo votis exoro ut Erasmum Roterodamum ac Eduardum Letum viros certe nostra aetate et eloquentissimos et doctissimos, quibuscumque officiis S. T. demereatur atque etiam in hanc arenam ingenti policitatione pertrahat. Nam maxima pars nostrae Germaniae Erasmi tantum sententiam sequitur, sola eruditionis ac litterarum opinione ducta etiam si per se pauci rem discusserint, quamquam etiam et his viris ingens iuditium sit unde facile speratur non tantum multos persuasuros hos sed et causam ab adversariis evicturos. Horum iam tandem monitor, post crebra eruditissimi Fabri nostri similia consilia T. S. accedere volui, ac jam postremo orare si qua vetusta forent sanctorum commentaria, maxime Dionysii Alexandrini quae vel pontificia tua vel avita vel paterna bibliotheca haberet vel certe quae aliunde conqueri possent, in hoc non modicam S. T. operam collocet et ut in aliquot exemplaria excudantur, curet; non nihil enim subsidiorum hinc paremus quae, esto frigida per se videatur, adversariis tamen si illius verbi robur accesserit, virium hinc certe plus pars nostra accipiet. Vale, pater Beatissime ac quicquid id est officii boni consule,

ac rem Christi et Ecclesiae gratanter age. E Norimberga, Nonis Januarii XXIV.

Joannes Hanerus.

142.

Arch. Megunt. Clementi VII.

(Epist. Principum II. fol. 136.)

(14. Januar. 1524.)

Sanctissime ac Prestantissime in Christo Pater et domine domine colendissime Obedientiam debitam et devota semper oscula beatorum. — Divina providentia ad Apostolicae dignitatis culmen beatitudo Vestra erecta, mox in limine Pontificatus sui, assumpti nominis, clementiam ac benignitatem erga me creaturam suam paternis licteris singulari amore preditis non solum declarare verum etiam gratulationem ipsam meam (quam pro summa benivolentia olim inter nos constituta et debita modo ac filiali observantia et servitute mea pridem per licteras feci) prevenire studuit, de qua re beatitudini vestrae gratias habeo immensas, eidemque de divina assumptione sua rursus iterum atque iterum gratulor, precorque ut foelix fausta longeva sit atque perpetua. Quin quidem nihil mihi accidere potuisset letius expectatius aut certe iucundius quam cum Beatitudinem Vestram Romanum Pontificem declaratam electamque cognovissem, quod sedulo etiam priusquam fieret fore, mea mihi mens prenunciare presagireque videbatur, talem quippe tantumque pontificem infesta ac calamitosa hec Christianae fidei tempora desiderabant expostulabantque, qui virtute prudencia ac constantissima erga sanctam fidem pietate, lutheranam labem ex Ecclesia Dei et Romano Imperio tolleret aboleret eliminaret, unde Consilio occulto Dei iudico Sanctitatem Vestram ad rerum fastigium vocatam, ut ipsa quod fe: re: Leonem Decimum predecessorem Sanctitatis Vestrae ac secundum carnem patruelem pie ac sancte ceptum est, strenue ac feliciter ad Dei gloriam perficiat, et ad effectum perducat. Polliceor ego pro pietate quam Deo optimo, et observantia quam Sanctissime Apostolicae Sedi debeo, me una cum fratre meo et ceteris amicis meis Romani Imperii

principibus pro virili mea summo studio conabor, ut tandem hec lues toto pellatur ab orbe. Coeterum ad hoc negotium Caesaris et Catholice Majestatis auctoritas propemodum necessaria est, quam Sanctitas Vestra sedulo monere hortari impellere animareque ad hanc tam sanctam rem non desistat, ut Imperatorio munere in turbandis opprimendisque novitatum autoribus defungat, qui me sibi potissimum scopum habent exercende malitie, non aliunde inducti quam invidia cupiditateque habendi ea que Archiepiscopus Magdeburgensis possideo, qua diocesi illis vicinior sum; quorum ut improbos conatus prudenti consilio vincerem Reverendum ac Illustrissimum Dominum Joannem Albertum Patruelem meum in coadiutorem in Ecclesia Magdeburgensi assumpsi ne sub mortis mee tempus (quod avide expectant) invadende occupandeque Diocesis Magdeburgensis occasio ipsis tum relicta dataque videretur. Coadiutoriam illam ut per licteras eiusdem patruelis mei certior sum factus in primo ipsius Consistorio gratiose et clementer admisit et confirmavit quo non tam ipsum patruelem meum, quam me ipsum ac Ecclesiam potissimum summo beneficio affectam existimo, novique beneficii accessionis, me eidem Sanctitati Vestrae magis obnoxium agnosco. Coeterum, oro, beatitudo vestra in compositionibus ac annatarum solutionum et aliis ita benigne patruelem meum solita pietate tractare dignetur, ut intelligat commendationem hanc meam non parum utilitatis sibi attulisse. Feliciter ac diutissime valeat S. V. ad Christiani orbis tranquillitatem cuius Sanctissimis pedibus me Ecclesiasque meas omnes humillime commendo.

Hallis die XIV Januarii Anno MDXXIV.

E. B. Vre.

Humillima Creatura
Albertus Card. Moguntinus.

143.
Clemens VII. Marchioni Badensi.

(Br. ad princ. 190.)

(17. Januar. 1524.)

Dilecte fili, salutem etc. Cum pro nostro officio, proque ea benevolentia, qua istam fortissimam Nationem semper in minoribus prosecuti sumus, et nunc paterne prosequimur, di-

lectum filium nostrum Cardinalem Campegium, hujus Sanctae Sedis, et nostrum de Latere Legatum non sine Caesarae Majestatis voluntate istuc mittendum decreverimus, pro communibus totius Reipublicae Christianae commodis, Nobilitatem tuam hortamur in Domino, et paterne requirimus, ut pro tuo Principis Imperii officio, et solita erga Deum pietate, proque eiusdem, et tuo honore, ad Conventum Norimbergae indictum, si profectus non es, proficisci, ac nostro Legato, praesertim ea dignitate hujusmodi, et pro tam necessaria causa ad vos venienti, non modo tutum iter, transitumque, et moram, sed benignam exceptionem, tam in Conventu ipso, quam ubique procurare; eique omni ope, et opera adesse velis. Quod Nobilitati tuae honorificum, et congruum, nobis vero supra quam dici possit, erit gratum. Dat. Romae etc. die XVII. Januarii 1524. Anno p°.

Simile Ho[li] in Albis. — Simile Epo. in Albis. — Simile Enrico.

Duci Brunsuicen.

Simile Henrico Duci Busuicen.

Simile Hernesto Epo. Patavien.

144.

Card. Arch. Moguntinus Clementi VII.

(Arm. XI, caps. XII, N. 20.)

(20. Februarii 1524.)

Beatissime et clementissime in Christo pater et Domine, Domine mi unice colendissime. Post humilem commendationem pedum oscula beatorum. Vestrae Beatitudinis litteras in forma Brevis debita cum reverentia accepi, ex quibus intellexi vestram Sanctitatem decrevisse Reverendissimum in Christo patrem et Dominum Laurentium tituli S. Anastasiae presbyterum cardinalem Campeium Dominum amicum et fratrem meum charissimum loco Nuntii Apostolici Legatum de latere ad principum Imperii Conventum Nurembergam mittendum, qui temporum istorum periculis provideat haereticorumque audatiam Vestrae Beatitudinis nomine componat. Hunc ut commendatum suscipiam paterne me hortatur. Hoc sane Beatitudinis Vestrae prudentissimum consilium quo rebus Ecclesiae non mediocriter

nunc laborantibus, paterne prospicere conatur, non vulgari me affecit gaudio. Ego siquidem qui V. B. et Sanctae Ecclesiae Romanae me omnia debere agnosco, omne studium, labores, voluntates, denique me ipsum totum ad hoc sanctum institutum Vestrae Beatitudini polliceor, atque pro servanda incolumitate et honore illius fideliter prestabo. Quum autem ego iam aliquandiu gravi corporis et adversa valetudine laboravi adeo quod etiam in periculo mortis fuerim, Dei tamen optimi maximi favore aliquantisper Sanitati restitutus, ita tamen quod absque summo periculo me laboribus itinerum nunc submittere non possum, quare huic principum conventui intervenire inevitabili quadam necessitate invitus detineor; attamen quod mei muneris erit ego per oratores ac nuncios meos quos nunc meo nomine ad hunc conventum delegaverim, pro honore V. Beatitudinis ac Legati illius apud alios principes fideliter agam, ut ille dignis suscipiatur honoribus, benigneque tractetur, negotiumque hoc sanctum favorabiliter promoveatur, quem ego iampridem .et novi et cum propter communes honores, tum propter eximias illius virtutes ac eruditionem ex animo summis prosequor favoribus. Quare Vestra Sanctitas sibi de me certo persuadeat quod hac in re quacumque alia quae ad V. Beatitudinis ac Sanctae Sedis Apostolicae honorem et utilitatem spectare poterit, ea fideliter agam quae obedientissimus filius et agere et prestare vel possit vel debeat. Cui me humiliter commendo. Datum Hallis ex Arce divi Mauricii, die Sabathi vicesima mensis Februarii, anno Domini MDXXIV.

145.

Clemens VII. Cardinali Salzburgensi.

(Brev. I. 193. fol. 466.)

(25. Febr. 1524.)

Dilecte fili, salutem etc. Quamvis Circumspectio tua, ut accepimus, ad Nos et Romanam Curiam, ut par est, se transferre, et in ea residere desideraret; attamen subpullulante, et latius in dies serpente in partibus Germaniae perniciosa Lutherana haeresi, ut ad praesens istic permaneat magis expediens fore censemus. Siquidem consideramus, quod in his,

quae nostrum, et Apostolicae Sedis honorem, atque Ecclesiasticam libertatem, ipsiusque Lutheranae haeresis extinctionem concernunt, utilior istic, quam hic esse poteris. Quocirca hac, et aliis rationabilibus causis nos ad id moventibus, inducti; motu proprio, et ex certa nostra scientia, eidem Circumspectioni tuae, ut nunc, et deinceps, quoad vixeris, in dictis Germaniae partibus, et alias ubicumque tibi expediens videbitur, et placuerit, licentiam manendi, ac ut ad Nos, et dictam Romanam Curiam, donec aliud tibi mandaverimus, etiam Sede Apostolica vacante, accedere, et in ea residere nequaquam tenearis, nec ad id a quoquam cogi, aut compelli quoquomodo possis, Auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Dat. Romae Die XXV Februarii 1524. Anno primo.

Quadruplicatum.

146.

Clemens VII. Erasmo Rotterodamo.

(Eohii, Erasmi etc. Epistolae. fol. 251.)

(3. Aprilis 1524.)

Ex litteris tuis et ex eo libro quem ad nos in Apostolorum Acta conscriptum misisti, facile perspeximus tuam erga nos observantiam coniunctam pari benevolentia, spemque magnam caepimus, Te quem Deus omnipotens doctrinae ornamentis insignem esse voluisset, pro eiusdem Dei causa arma sumpturum, quae essent tuo tanto ingenio et ei pietati quam profiteris, consentanea. Sic enim etiam ad nos multis ex locis afferebatur tibi ita agere in animo esse; iamque susceptum vel potius institutum quoddam opus quo multorum prave sentientium erroribus patefaciendis tuae scientiae lumen accederet. Quod nobis fuit auditu iucundissimum; magni enim semper fecimus litteras et doctrinam tuam; inque hac sententia et nostro paterno animo erga te, sive in hanc urbem te contuleris, sive constiteris alibi uspiam, ubicumque certe fueris, nos intelliges manere constantes. Itaque et quod ad te obtrectationibus liberandum attinet, interposuimus auctoritatem nostram, et quoniam non est nostri neque iudicii neque animi tuam

virtutem et eam quam in nos demonstras huius egregii voluminis dicatione optimam voluntatem irremuneratam relinquere, mandavimus dilecto filio Laurentio tituli Sanctae Anastasiae presbytero cardinali Campegio nostro et Sedis Apostolicae de latere legato, ut is tibi nostro nomine nunc quidem interim quoddam munusculum deferret, dum honesta nobis occasione oblata, aliquo modo dignitati tuae consulatur. Quod ut promptius et maiore etiam tuo merito facere debeamus, tuum erit in Dei gratiam ac nostram et levamentum laboris nostri eos qui a sensu verae pietatis aversi sunt corrigere, nobiscum una et docendo et monendo et scribendo, ut et nos benevolentia tua et christiana res doctrina eruditioneque perfrui possit. Dat. Romae III. Aprilis MDXXIV.

147.
Clemens VII. Lucemburgensibus.

(Clem. VII. Brev. anno I. ep. 275. fol. 687.)

(8. Aprilis 1524.)

Dilecti filii sulutem etc. Ex dilecto filio magistro Joanne Corysio cive vestro notario et familiari nostro, cuius opera assidue utimur et fide iuvamur, relatu, pietas ad nos vestra perlata est, digna quidem illa vobis vestrisque olim maioribus, sed hoc tempore vehementer necessaria ac nobis valde iucunda et grata. Siquidem quum aliqui istic lutheranam haeresim inducere, palamque praedicare velle conarentur, non vobis cogentium iura, non suadentium auctoritatem pios animos a verae cultu fidei avertere potuisse; sed Deum, Deique fidem in auribus ac mentibus vestris vos illibatam custodisse. Benedicat vos ipse Deus, filii dilecti, cui honorem reddidistis eiusque Vineam a circumstantibus venenis illaesam in vobis servastis, ne per vestra septa cum vestrarum animarum pernicie ingrederentur. Non fuisset hoc vestrae gloriae vestrorumque maiorum laudi compar, olim vos sanctam fidem in aliena et longinqua terra tutatos, nunc in vestra oppugnari atque infici permisisse; regenerastis igitur in maiores vestros avitam eorum fortitudinem et pietatem. Nam sicut illi olim hostes fidei contuderunt foris, ita vos eos domi repressistis. Quod sane

praeclarum facinus vestrum in coelo ipsum iam emicat atque a Deo et Angelis laudatum, tamen nostra quoque commendatione libenter prosequimur et dignum omni laude ac benevolentia intima nostra iudicamus, hortantes vos per eundem Jesum qui mentem sanctam vobis intulit ad reliquam gloriam salutemque comparandam, ut Templum Dei quod in vobis est, in sinceritate eius fidei quam a patribus accepistis, custodiatis. Nam non longe futurum confidimus Dei misericordia interveniente, tum nostra quoque et Caesarae Maiestatis aliorumque orthodoxorum principum opera accedente, quin laeta istis ab haeresi fluctibus restituatur, eumque finem horum haereticorum videamus quem maiores nostri aliorum viderunt. In quo nos cum omni cura incumbimus et divina ope iuvari speramus. Datum Romae etc. die VIII. Aprilis 1524. Anno primo.

148.
Clemens VII. Campegio.

(Clem. VII. Brevia ad Principes per Sadoletum scripta fol. 16.)

(14. Aprilis 1524.)

Quod scribit ad nos cir^lo^ tua esse ex numero illorum principum quorum et nobilitas et virtus magni a nobis facienda est, qui optent cleri Germaniae reformationem, multum per eam rem ad tollendas seditiones et tumultus schismaticorum profuturam arbitrentur, id nobis intelligere fuit iucundissimum. Quid enim aliud nos, posteaquam ad hoc pastorale officium divina bonitate vocati fuimus, aut cogitavimus aut optavimus quam in Ecclesia Dei corrigere quae depravata sunt et illam in antiquum splendorem purae et verae religionis revocare, cuius nostri desiderii Deum testem habemus et cir^nem^ etiam tuam? Sed quominus statim ab initio in hanc rem et opus incumberemus aliae graviores et instantiores curae fuerunt impedimento, cum enim ad sedanda acerbissima bella quibus christianus orbis flagrat universus, cum ad imminentis et urgentis ferocissimi Turcae impetus evitandos, cum ad eam, quae nobis et in amore et in opinione virtutis potissima, in Germaniam domesticis malis liberandam omnia studia et consilia nostra vix suffectura cerneremus, non duximus ad tantarum rerum onus hunc etiam laborem reformationis subito addendum esse, prae-

sertim cum hoc remedium ad aliquantum tempus differri posset; illa vero superiora nec spatium nec moram ullam paterentur. Quare si ab huiusmodi optimis principibus et ipse Germaniae conventus haec res abs te postulatur, non solum hanc eorum virtutem et dignissimam omni laudi voluntatem in Domino commendamus, sed gratum insuper habemus quod rei nobis admodum desideratae laborem sua diligentia nobis faciunt leviorem. Sed illud est diligentissime animadvertendum de quo tu nobis non ita plene aperteque scripsisti, num huic sancto operi omnes principes qui in conventu locum vocemque obtinent tam temporales quam ecclesiastici consentiant; si enim unus est animus omnium et una ac consentiens in hoc ita fiet postulatio, ne punctum quidem temporis volumus a te rem differri, tibique et praesidendi in ipso conventu et quae in eo decreta ad comunem reformationem morum cleri Germanie fecerint approbandi et confirmandi auctoritate nostra tenore praesentium amplam potestatem simul et facultatem concedimus; sin autem intelligas non re publice in discussionem adducta, ne qua contentio exoriatur, sed singulatim omnium voluntatibus perspectis, aliquam partem numerumque principum et eorum qui auctoritate pollent ab hac sententia remotum esse, pertimescendum tunc nobis graviter esset ne, dum veteres seditiones ex illa nobis dilectissima natione tollere et extirpare quereremus, novas insuper concitaremus, quod nobis magno dolori, ipsis Germanis gravi detrimento esset, quae uno quidem plus multo quam vellemus dissensionis genere iamdudum afflicta est. Facit enim et amor perpetuus in illam nationem noster et ea spes quam habemus quod, illa inter se concordi vi placata, maximum auxilium ac praesidium toti christianitati debeat esse paratum, ut Germaniae populorum commodis incommodisque non semel afficiamur ac nostris. Hanc rem ut exquiras diligenter ac percipias, adhibito consilio eorum quos et auctoritate et prudentia publicae saluti totius Germaniae favere intellexeris, cir^{ni} tuae iniungimus rationibusque omnibus ultro et citro dictis, si tibi ita videatur ad nos referas; nos enim ad omnia honesta et salutaria consilia, voluntatem, manum accomodabimus et auctoritatem. Quod si, sine aliquo gravi motu, per generalem Germaniae conventum provideri huic reformationi non posse videris, poteris tu, si ita expediens fuerit, et per te et per eosdem opti-

mos principes qui hoc ipsum iudicarunt, particulares facere reformationes et, ad postulationem populorum qui de cleri iniuriis conquesti fuerint, adhibitis tecum sex aut octo germanis praelatis correctioni intendere. Nos et tua prudentia atque doctrina plurimum confidimus et illis agimus principibus gratias quorum tu sanctum propositum optimamque voluntatem ad nos perscripsisti, illorumque nomina (non enim per te scripta sunt) avemus intelligere, quo amemus etiam magis quos magnopere diligimus. Tu atque illi, iuncto cum voluntate bona optimo etiam consilio, quae ad salutem et pacem Germaniae pertinebunt et vestra virtute ac diligentia procurabitis et nobis iudicare non postponetis. Dat. Romae Decimaquarta Aprilis MDXXIV. Anno primo.

149.
Clemens VII. Cardinali Campegio.

(Clementis VII. Epist. ad principes per Sadolet. scriptae. fol. 17.)

(14. Aprilis 1524.)

Gratum nobis admodum fuit ex circumspectionis tuae litteris intelligere postulari a te per eos Principes qui in isto Conventu Germaniae congregati sunt et quorum virtus et nobilitas maxime publicae saluti intenta est ut ad reformandos mores cleri Germaniae aliquis conventus indicatur, in quo tu debeas auctoritate et vice nostra praesidere; haec enim petitio et illorum optimam voluntatem prorsus nobis indicat et rem postulat ut arbitramur salutarem; cum praesertim ad eum quoque finem instituatur ut scismaticorum et prave sentientium omnino confundatur iniquitas; paxque et tranquillitas (id quod nos maxime expetimus) toti Germaniae reddatur. Quamobrem cum omnis ordinum ecclesiasticorum correctio iam pridem nobis desyderata sit, et quominus ad eam statim tractandam devenerimus his totius christianitatis bellorum et seditionum incendiis fuerimus impediti, aperiente viam nobis Deo per virtutem et bonam mentem istorum Germanie Principum tam temporalium quam ecclesiasticorum, Circumspectioni tuae dictum conventum celebrandi ac auctoritatem illius tibi tribuendi

ad correctionem morum et reformationem cleri Germaniae pertinentibus, ac in eo nostra vice et nomine honore eodem legationis praesidendi, amplam tenore praesentium facultatem simul concedimus et potestatem; in contrarium facientibus etc. non obstantibus quibuscumque etc.

Romae die XIV Aprilis MDXXIV Pont. Nostri anno primo.

150.

Fragmentum epistolae de rebus Augustae.

(Acta Wormatiensia 201.)

(15. Aprilis 1524.)

Domini Balthazaris de Wolffstall uxor scripsit:

Postquam prefectus die Mercurii ad Augustam venisset redditae fuerunt mihi die Jovis hora tarda littere eiusdem in quibus scripsit: Postquam ipse dicto die ad Augustam venisset, invenisset in Ecclesia Beate Marie Augustensis et cimiterio eiusdem multitudinem populi virorum et mulierum et apud illos septem pictores cum madidis spongiis qui imagines beatae Mariae Virginis et Sanctorum deleverunt usque ad certas imagines Crucifixi, sed in nocte sequenti imagines Crucifixi spurcissimo et fedo sanguine asperserunt et defedarunt, et cuidam statue beate Marie virginis coronam capiti eius impositam deponentes, eidem capiti feda stercora reimposuerunt. Unquam diebus vite mee ex aliqua re magis turbata fui. Si solito gloriosam Virginem amatis, scio vos cordiatim ex hoc dolere. O Deus omnipotens defende benedictam Matrem tuam. Datum in Worde die Veneris 15 Aprilis 1524.

151.

Capitulum continens ea, quae per Senatum Imperii in materia novarum Doctrinarum sunt conclusa, ut ut in recessu vernacula lingua est inserendum, quatenus ratione universalis Concilii, cum Sanctissimi Domini Clementis VII. Papae Legato in hanc sententiam conventum fuerit.

(Acta Wormatiensia fol. 219.)

(Mense Aprilis 1524.)

.... Quam insuper prefata nostra instructio Joanni Hannart Oratori nostro ad hanc Imperialem Diaetam data inter alia in se complectitur: Nos spe bona ductos qui Sacri Imperii status tamquam sanctae fidei defensores, et protectores mandato nostro de consensu Electorum, Principum, Praelatorum, Comitum, et aliorum statuum Wormatiae emanato obedienter paruissent, et satisfecissent, ac illud idem manutenuissent, Et ex eo quod promissa adimplere neglexerunt, non modicam ratione Reipublicae Christianae et totius Germanicae Nationis molestiam, et displicentiam concepisse; ea propter desiderium, et petitionem nostram iterum eo collocavimus, ut quivis Electorum, Principum, Praelatorum, Comitum, et Statuum, per se ipsum et apud subditos suos curaret, et efficeret, quod hujusmodi nostro mandato Wormatiensi deinceps adhuc obedienter obtemperaretur, cuius occasionem ad hujusmodi nostram petitionem, et desiderium, nostri et sacri Romani Imperii Electores, Principes, Praelati, Comites, et communes status inter se concordarunt, et concluserunt se velle dicto nostro mandato obedienter (quemadmodum et ad id se obligatos esse recognoscunt) pro virili sua, et in quantum possibile sit, parere, et illud adimplere et observare. Ac quo quelibet potestas apud Typographos, seu impressorum institas, et alias undique prospiciat necessario, et provideat, ut deinceps famosi libelli, seu iniuriosae scripturae, et picturae in futurum in totum amoveantur, et ulterius non divulgentur, sive dilatentur, quodque in posterum ratione bibliothecarum iuxta tenorem predicti mandati nostri observetur. Verum si cuiquam aliqua circa praemissa gravamina vel impedimenta accederent, vel inferrentur, is ea nostro Locumtenenti et regimini significare poterit, qui a Nobis commissionem habent, pro ut et ipsis tenore

presentium seriose committimus: quatenus consilio et auxilio conquerentibus adsint, eos tueantur, et dictum nostrum mandatum omni diligentia exequantur, et ne bonum cum malo supprimatur, et tandem resolutio fieri seu adamussim examinari possit, quam viam in hac re quisque debeat amplecti, convenerunt nostri Locumtenentes, orator, Electores quoque, Principes, Praelati, Comites, et Imperii ordines cum Sanctissimi Domini Pontificis Legato hic presente, qui Generale, liberum, et universale Concilium Christianitatis tanquam summe necessarium per Beatitudinem Pontificis de consensu nostro, quanto citius, et quam primum possibile futurum sit ad locum convenientem in Germania prout decet indici, et publicari, et nihilominus interea temporis in diem Divi Martini proximum in civitate Spirensis, communis congregatio Germanicae Nationis celebrari, ac in eandem, ut praefertur, deliberari, et in consultationem poni debeat, quo pacto usque ad indicendum generale concilium sit agendum. Ad quam congregationem quivis Electorum, Principum, Praelatorum, Comitum, et aliorum ordinum status imperii se personaliter conferre teneatur. Verum si aliquis ex eis urgenti de causa personaliter adesse non posset, ex tunc is debeat unum vel plures graves et prestantes Consiliarios ad tractandum, consultandum, et finaliter de iis concludendum pleno et sufficienti mandato suffultos transmittere, quemadmodum licterae ad Principes, Electores, et alios Principes, et Status desuper decretae sunt, et potissimum ad eos, qui universalia studia in suis Ducatibus, et Civitatibus habent, cum commissione quatenus per suos doctos practicos, expertos, et intelligentes consiliarios extrahi, et seligi curent quicquid disputabile in novis doctrinis, et libris repererint, et quod ita extraxerint, Nobis, vel in absentia nostra, nostro Locumtenenti, et Principibus Electoribus, Principibus, et Statibus in dicta congregatione conventuris exhibeant, ut maiori fructu negocium hoc in futuro Concilio possit habere progressum. Debebunt insuper nostri Locumtenentes et constitutum Regimen, Principes insuper, Electores, Principes, Praelati, Comites, et Status Imperii circa prescripta singulari, et summa diligentia et advertentia prospicere, quod medio tempore Sanctum Evangelium et Verbum Dei secundum verum syncerum intellectum, et interpretationem Doctorum, a communi Ecclesia receptorum absque tumultu et scandalo praedicetur, et docea-

tur. Gravamina denique Nationis Germanicae per Principes, et Status saeculares contra Sedem Apostolicam in conventu proximo Imperiali hic celebrato, similiter et gravamina secularium contra Ecclesiasticos designata, consiliariis et personis per Principes Electores, Principes et Status ita, ut prefertur, deputandos ad examinandum et consultandum committi debent, ut ea studeant omni sedulitate et diligentia ponderare, revidere, et sanum consilium suum quo pacto ad tolerabiles vias deduci possint in proximo communi conventu Imperiali. Nobis vel Locumtenenti nostro Principibus quoque Electoribus, et statibus impartiri, quodque deinde in premissis ea, quae necessaria et oportuna visa fuerint deliberari et concludi possint. Ex speciali commissione Sacri Romani Imperii statuum Simon Ribisen iuris utriusque Doctor Canonicus maioris et Divi Pauli Wormatiensis Ecclesiasticorum prepositus Reverendissimi Wormatiensis antistitis ad hunc conventum missus orator fideliter transtulit, quod manu propria refert et attestat.

152.

Responsio R. Domini Cardinalis Campegii Legati ad recessum conventus.

(Acta Wormaciensia 215.)

Considerato tenore resolutionis quam intendunt Sacri Romani Imperii Principes, et status in hoc Norembergense conventu, quo ad novas, imo antiquas, et alias damnatas haereses, mihi per eorum deputatos exhibita.

Imprimis illud dico placere, quod de revocatione mandati Wormatiensis dicunt, atque in hoc eos maxime hortor, ut re ipsa efficiant, quod praedictum mandatum effectualiter executioni mandetur, et observetur.

Secundo consideranda esse verba illa in prefatae resolutionis serie scripta, *et ne bonum cum malo supprimatur, et tandem resolutio fieri, seu ad amussim examinari possit, quam viam in hac re quisque debeat amplecti etc.* Ex quibus sensus videtur resultare non conveniens statibus Sacri Romani Imperii, quum innuant quod inter res istorum haereticorum sint aliqua bona, quae dato quod essent, cum veneno illita sint, et nihil

habeant nisi mortiferum, merito nullius debent esse considerationis, quum satis sit ex probatissimis autoribus longe meliora haurire. Nec minus innuere videntur dicta verba aliquam esse apud ea proferentes dubietatem in iis, quae fidei sunt, quod tamen a veritate maxime alienum est. Neque nisi ullus potest, aut debet esse dubitationi locus in iis, quae ab universali Ecclesia decisa sunt per hereticos deducuntur, etiam alias per Concilia universalia habita in Germania decisa sunt, et determinata.

Tertio quo ad universale Concilium liberum, a Sanctissimo Domino Nostro indicendum, et congregandum, quod et alias eisdem deputatis respondi, nunc etiam respondeo, et dico, illud non videri praesentaneum, ut res expostulat, remedium, quia nec repente, nec brevi tempore cogi potest. Si tamen Sacri Romani Imperii statibus, pro salute, et tranquillitate omnium visum fuerit ita expedire, recipio me apud Sanctissimum Dominum Nostrum id curaturum, existimoque Sanctitatem suam intra legitimos terminos, quum de hac re cum Cesarea Majestate coeterisque Regibus, Principibus, et Populis Christianis tractaverit, atque de loco, tempore, modo, et coeteris ad id necessariis aliquid constitutum habuerit, quam primum per concordiam Principum, ad quam maxime anhelat, licuerit, illud indicturum.

Quarto quo ad communem congregationem Germanicae Nationis in die Divi Martini proxime futuri in civitate Spirensi fiendam, mihi nullo pacto videtur oportunum, aut expediens, qui talis congregatio fiat propter multas rationes. Non nisi sperandum est hac via quieti et tranquillitati huius Nationis recte consuli posse. Nam in tanto hominum numero, et diversitate disceptare de iis, quae pertinent ad fidem, periculosissimum semper fuit, quia sacrarum licterarum imperiti, et Decretorum nostrae religionis expertes, nihil possunt commodo de iis, quae ad fidem sunt statuere. Et maxime quia suspicandum est illuc plures conventuros animo in haeresim inclinato, quique tum palam venenum illud proferent, quod egregie minus nunc dissimulant. Ac propterea huic periculo nos submittere non debemus. Quod si quid, ut saepe evenit, impiorum summa prevalente in eo conventu statueretur contra veram religionem, id nunquam postea sine sudore obliterari posset, praedicti conventus auctoritate munitum. Accedit in-

super quod per hanc viam in Christiana religione schisma aeternum inducere possemus, dissidentibus in iis, quae pertinent ad fidem, Germanis, a coeteris Nationibus: quum verisimile non sit alias Nationes citra Pontificis autoritatem, a Germanis leges, aut ritus suscepturas: quod quantum futurum sit oportunum, et commodum rationibus pacis, quam tantopere inter Christianos Principes affectamus, nullus est qui nesciat. Infelicitas porro maxima, et indignitas insignis fuerit Christianae religionis, eadem vulnera continue refricare, atque in dubium ea revocare, quae centies ab Ecclesia, a Consiliis, ab Imperatoribus, Regibus, et universo Christiano populo damnata fuere: Praeterea in hac congregatione si omnis ordinis homines, quod affectare videntur et petunt, admittentur, et plebs una cum Principibus, Praelatis, et Principibus sedeat, et sententiam dicat, quid futurum sit, quaeve decreta haberi inde possint, quisque sibi cogitet. Si non admittentur, quid sine ipsis stabilitis et sancitis attributuri sint, nos dicite, qui scitis eos iam nulli sanctioni Pontificiae aut Imperatoriae, vel consiliari autoritatem aliquam reliquisse; clamabunt statim se exclusos, ne in eorum corio ludentibus assisterent, et rem suam cognoscerent. Itaque neque ad pacem, neque ad quietem, neque ad concordiam Germaniae congregationem hanc profuturam iudico. Quod si omissis, quae ad fidem et religionem spectant, dixerint aliqui predictam congregationem suscipiendam esse in hanc rationem, ut lapsi mores et Cleri licentia coerceatur et restituatur: illud respondere libere possum, hujusmodi corruptelae iam satis cautum, et provisum esse, et leges in hac re multas latas esse, quae si observari mandentur, et ad id me sufficienti facultate munitum vocaverint, statim omnia fuerint restituta. Tota nisi huius rei ratio in hoc sita est, ut quae commode adinventa, et recte ad pacem et unionem Christianorum excogitata et edita sunt: ea inquam omnia custodiantur, et serventur.

Quinto quo ad materiam gravaminum illud idem dico, quod et alias praefatis deputatis respondi, mihi magis placere, ut materia haec per Oratores eruditos et bene instructos apud Sanctissimum Dominum Nostrum et Sedem Apostolicam tractaretur: idque tam pro dignitate Sedis praefatae, quam Sacri Romani Imperii, a quibus etiam plura impetraturi essent, quam in multorum opinione cadant. Nihilominus si maluerint hanc

rem mecum tractare, delectis ad id aliquot viris eruditis, probis, et honestis, ego me offero benigne auditurum omnia. Ac secundum justitiae honestatis, et aequitatis regulam, quaecumque fuerint corrigenda, mutanda, minuenda, cassanda, aut reformanda, correcturum, mutaturum, minuturum, cassaturum, aut reformaturum. —

Ejusdem replicatio.

Viso capitulo concernente materiam novarum haeresum Nobis per Sacri Romani Imperii deputatos ultimo loco exhibito ac, ut asseruerunt, per eos concluso, dicimus et respondemus nostrae intentionis esse nullo pacto circa Concilii Generalis congregationem et communem congregationem Germanicae Nationis ad diem Divi Martini proxime futuri in civitate Spirensi fiendam, quicquam polliceri, assentire, vel consentire ultra et praeter tenorem eorum, quae per Nos dictis Sacri Romani Imperii deputatis in scriptis data, et exhibita sunt.

153.
Brevis mittendus Carolo V.

(Acta Wormac. 222.)

(Sub fine Aprilis 1524.)

Non dubitamus per plures iam Nuncios ad Majestatem Tuam esse perlatum, quanta rerum omnium confusione in dies magis fluctuet Germania ob Lutheranam sectam, adeo ut nisi quam citissime huic pesti obviam eatur, non de obedientia modo Majestati Tuae debita, sed de religione ipsa Christiana in ea provincia actum esse videri possit. Nollemus quidem, sed tamen quia res sic postulat, referre cogimur, eo passim in Germania deventum impietatis et insaniae, ut nemo fere illic sit, qui non sub Evangelicae libertatis nomine, sed re vera diabolicae licentiae insidiis, suo sensu vivat; Adeo nulla habita divinarum, humanarumve legum ratione, nulla huius Sanctae Sedis reverentia, (unde religionem Christianam haec natio habuit) nullo tuae Majestatis et Imperialis Edicti metu, Sacramenta Ecclesiastica contemnunt, divinum cultum tam pie hactenus observatum abrogant, sanctorum imagines, atque

ipsius divae Virginis, et Redemptoris nostri delent, sacros libros adurunt, nuptias inter sacerdotes et concubinas, ac meretrices, inter monachos et monachas publica pompa celebrant, et prout quemque impetus, aut libido exagitat, in preceps feruntur. Quid quod freti nescio quibus translationibus scripturae sacrae ab hereticis nuper editis, non plebeii modo homines, sub et foeminae de Divino Verbo argutari, decernere, doctissimis viris temere contradicere nusquam non audent. Atque id fieri a praedonibus et perditae sortis hominibus, quos illic magno numero rapiendi cupido in nullum non facinus furentes agit, minus fortasse mirum. At plerasque civitates Imperiales, easque, quas mala ominatione liberas vocari contigit, quae nuper optimo ordine a probis et cordatis civibus, maximeque piis regi consueverunt, esse hac labe penitus contaminatas, ea demum huius nationis extrema miseria, et calamitas censeri debet. Porro Principum nonnulli non modo hac in parte et ipsi corrupti sunt, sed et istius haeresis autores, et fautores; nonnulli etsi adhuc constant, malo tamen suorum consiliariorum dolo seducti, (quos fere omnes in confesso est esse lutheranos) aliqui intestinis dissidiis, aliqui suorum subditorum metu, quos principio cohibere neglexerunt, in universum omnes diversis de causis tam procul ab officio in hac re tractanda recedunt, ut Germania omnis in manifestam perniciem iam iam casura videatur. Id autem si (quod abominamur) eveniat, quis non videt reliquas etiam fideles nationes in eandem haeresim ne prolabantur periclitari, et totum Christianum nomen immanissimorum Turcarum praedae multo magis quam antea patefieri! Ad hanc extinguendam pestem quanto studio, opeque incubuerit fe. re. Leo X Precessor, et secundum carnem frater patruelis noster, testis est ipsa Majestas Tua, quae eiusdem Leonis assiduis persuasionibus, et piis adhortationibus saepius requisita, praeclarum illud edictum in Wormatiensibus comitiis contra hanc heresim promulgavit. Quod si ut sanctissime fuerat decretum, ita mature executioni fuisset demandatum, dubio procul hac nunc molestia Christiana respublica careret. Verum quum sic divina providentia permissum fortasse esset, ut per hanc haeresim longe lateque saevientem, qui probati sunt, manifesti fiant, mali vero suorum peccatorum poenas tanto acerbius luant, prospiciendum iam iam est, ne id malum, quod in partem poenae

Dei ira immissum est, ulla nostra negligentia in extremam Christianae rei perniciem excrescat. Qua in re considerare debet Majestas Tua immortalem Deum, quemadmodum duo illa magna in coelo luminaria dimetiendis diebus et temporibus praefecit, ita et in terris gubernando Christiano populo prae coeteris Apostolicam et Caesaream dignitatem immensa sua prudentia constituisse, illam, ut mentes hominum sacramentis fidei, divino cultu, bonisque moribus illustraret, hanc, ut quos illa inobedientes et iniquitatis filios et presertim in haeretica labe obstinatos, utpote perniciosas stirpes radicitus excidendas indicasset, gravioribus, ac etiam capitalibus suppliciis coerceret. Et profecto si quis rem omnem hanc recte perpendat, merito videbitur Apostolica Sedes hac in parte suo munere perfuncta, si quidem idem Leo Pontifex ab initio statim huius mali, quam diu in humanis egit, nullum remedium omisit, quod ad curandum hunc morbum facere videretur. Et mox secutus Adrianus Sextus hanc ob causam Nuncium Apostolicum ad Principes populosque Germaniae, Nos vero etiam Legatum de latere dilectum filium nostrum Cardinalem Campegium, summa probitate, prudentia, et doctrina virum, proxime misimus: si qua fieri posset ut blandis, mitibusque medicamentis, quae oves hac perniciosissima labe essent infectae, sanarentur. Sed quum hac via quam tantopere desiderabamus, nihil profecerimus, reliquum est, ut quod iam ad Majestatem Tuam potissimum pertinet, aliquanto acriora medicamenta adhibeantur. Inviti id quidem (Deus scit) sed ut periti medici facere solent, suademus, ne si diutius hoc carcinoma serpere permittatur, totum Dominici gregis corpus computrescat. Ad hoc te tam sanctum, tamque laudabile facinus agrediendum, non modo Imperiale officium verum etiam Praecessorum tuorum Christianissimorum Imperatorum exempla non invitare solum, sed et incitare debent: si quidem Constantinus, qui primus Imperialem Sedem in Orientem transtulit, et Theodosius sanctissimi Imperatores in extirpandis ariana, et nestoriana haeresibus non minus ferrea virga Christianam rempublicam iuverunt, quam in Consiliis ob hanc causam autoritate hujus Apostolicae Sedis congregatis contra haereticorum impetus Sanctis patribus sua presentia antea adstiterant. Atque ut ab Orientalibus ad occiduos Imperatores familiae tuae longa serie coniunctos veniamus, Carolus ille magnus, cuius ut in

nomine, et imperio es successor, ita te rerum gestarum gloria aemulum et speramus, et optamus. Is Carolus quamvis continuis contra immanes Saracenos, et tunc idololatras, Saxones bellis districtus, inque adserenda e Tyrannorum manibus ecclesiastica libertate plurimum occupatus, felicianam tamen haeresim suis temporibus, atque in Germania ortam non prius persequi destitit, quam misso Felice haeresiarcha cum perniciosis eius libris ad Romanum Pontificem, universam hanc haeresim exstinctam vidit. Sed quid longe tibi repetimus exempla, qui domestica, atque adeo cognata, et recentia habeas? Albertus Caesar, idemque Dux Austriae, unus e maioribus tuis Boemicam haeresim ita attrivit, ut si diutius supervixisset (biennio enim tantum imperavit) ne vestigium quidem eius haeresis fuerit superfuturum. At Philippus Burgundus pro avus tuus, et eius Joannes pater non ne perturbatis Eugenii Pontificis, ei huius Sanctae Sedis rebus ita adfuerunt, ut Florentini Concilii Acta Joannis nomen perpetuo celebre reddant, et praeclarum illud elogium Philippi sepulcro insculptum in omnem posteritatem testimonium perhibeat fuisse ipsius consilio, et ope Eugenium Pontificem, et Dei Ecclesiam ab atrocissimo schismate liberatam? Sed adhuc recentiora facta materni avi tui Ferdinandi, atque aviae Helisabeth Catholicorum Regum oculis tuis tantum non obversari debent, qui in expugnandis a iudaica perfidia suis Regnis, et propaganda apud gentes nunc primum repertas christiana fide, merita apud Deum proemia, et nullis saeculis interituram apud homines gloriam, catholicique cognominis titulos sunt adsecuti.

Horum tu maiorum tuorum exempla non aemulari modo, sed et superare ideo eniti debes, quod Deus optimus maximus quae maioribus tuis, singula tibi uniunersa dedit, Imperiales titulos, tot tantaque Regna, Populos adeo bellicosos, aetatem rebus gerendis idoneam, prudentiam longe supra annos: quibus omnibus si non in defendenda Dei Ecclesia utaris, vide ne tibi ille tanto gravius succenseatur, quantum cuncta haec tibi sua sola benignitate est delargitus.

Excita igitur, carissime in Christo fili, potentiam tuam, et compositis paulisper his bellis, quae te super minimo Christiani Orbis angulo impeditum tenent, labanti universali Ecclesiae succurre. Neque speres posse te absque manifestissimo periculo eam, quam tantopere optas in Turcas expeditionem mo-

liri, non prius pacatis iis dissidiis, quae Germaniam tuam, quam longa lataque est, ob hanc perniciosissimam Lutheranam sectam multis variisque modis, a debita tibi obedientia fere abalienaverunt. Nos vero etsi (ut superius diximus) quaecumque potuimus et debuimus remedia contra hanc pestem adhibere enixi sumus, dabimus tamen perpetuo operam favente eo, qui Nobis licet indignis sui gregis curam commisit, ut ne Majestas Tua aut alius quisquam, quod praestare tenemur officium, in Nobis merito desideret.

Datum.

Hieronimus Aleander Typon huius Apostolici Brevis composuit: licet non ipsum Breve, sed sequens instructio, etiam ab eo composita, fuerit ad Cesarem missa. Quum sic visum esset ei qui omnia poterat apud Clementem VII.

154.

Instructio mittenda ad Nuncios apostolicos apud Caesaream Majestatem super re Lutheri.

(Acta Wormaciensia fol. 227.)

(Sub fine Aprilis 1524.)

In la causa Lutherana.

Se potra advertir la Cesarea Maestà che non solamente la Saxonia ma tuta la Alemagna alta et bassa, et li soi paesi de Brabantia, et Flandria, Phrysia, Zelandia, Holandia, sono peggio che mai infetti da questa peste, come verisimelmente Sua Maestà deve esser advertita da li soi.

Et ancor che ne li soi paesi d'Austria etc., l'Arciduca fratello de Sua Maestà pari che faci officio degno de sua progenie, et bono, et catholico Principe, nondimeno, o sii perchè li vecchi conselieri de quelli paesi furno sempre mal disposti verso questa Santa Sede, o per altra causa, ogni di si vede qualche gran desordene, et mal exemplo de le cose si fanno secundo questa maledetta setta.

Item le città franche come Noremberga, Augusta, Argentina, Spira, che soleano sempre gobernarsi prudentemente, sono assai più contaminate che li altri populi. Et per ogni

via demonstrano ben, che quello animo, che sempre hanno hauto de liberarse dal iugo de ogni obedientia, et superiorità d' altri, (quum sit che sempre li Imperatori già molti anni habiino possuto pocco disponer de quelle) hauta questa occasione de la doctrina lutherana, che destrugge ogni obedientia, hanno manifestamente scoperto la malignità de l' anima loro, che per avanti stava occulta: de modo che non solamente in le deliberationi de le Diaete tenute a Norimberga sono state contrarie a la ragione, ma ancor fanno assai peggio in fatti perchè sotto nome de far predicar l' Evangelio, non lassano predicar se non lutherani, et prohibiscono a tuti quelli che predicano altramente.

Fanno ogni male, a quelli religiosi che seguitano l' antiquo rito della Chiesia catholica, et piliano li loro lochi convertendoli in usi profani. Permetteno, anci inducono Pretti et Monachi piliar molie monache, overo quelle che prima erano loro concubine et meretrici.

In alcuni lochi destruggono le imagini de Sancti, de nostra Dona et del Salvator. Non voleno che si facino orationi, a nostra Dona, nè a sancti, et in alcune Chiesie hanno levato l' Ave Maria, et in loco de Salve Regina, voleno si dichi. Salve Rex etc. Non servano li ieiunii, nè tute le feste debite, nè li dì prohibiti da carne. Non curano li Sacramenti de la Chiesia specialmente la Confessione. Et ne la Eucharistia sono dil tuto discordi da la diretta via. Nè voleno che giovano le orationi, et Eleemosyne, a li defuncti. Nè cruano li Divini Officii, nè ornamenti de la Chiesia. Et se alcuna volta, o in alcuno loco li regimenti fanno qualche demonstratione de voler far observar l' antiquo rito Ecclesiastico, tuta volta non è se non fictione, perchè in li effetti non lassano praedicar altri che li lutherani, li quali sono del tuto contrarii a l' ordine Sacro, inimici de ogni lege cossi canonica, como civile.

Contra questi desordeni Papa Adriano mandò un Nuncio Apostolico, a la Diaeta de Noremberga, el qual non reportò altro che resposta captiosa; perchè in loco de dar remedio, a tanti errori, secundo che commandano tute lege antique canonice et civili, et lo edicto de la Caesarea Maestà fatto in la Diaeta de Wormatia de consenso de tuto lo imperio, senza alcun respetto de Sua Maestà fecero nove conclusioni, et respondendo de voler dar remedio, et far predicar la pa-

rola de Dio, et voler prohibir le impressioni de libri dannati, et famosi, hanno monstrato cum li effetti, che hanno altra intentione, perchè hanno lassato dopoi imprimer simili et peggiori libri, fatto predicar li lutherani, et prohibito li boni.

Similmente per dar remedio a le sopradette cose Nostro Signore Papa Clemente VII. ha mandato, a la ultima Diaeta de Noremberga el Reverendissimo Cardinale Campegio Legato, homo de integra vita, et excellente doctrina, acciò concorrendo insieme tute queste conditioni, l'autorità, la bontà, la scientia di tal homo, quelli populi più facilmente se potessero indur a la bona via; nè ha giovato alcuna cosa, perchè tanto sono venenati li animi loro non solamente contra de questa Chiesia, ma etiam contra ogni superiorità, che el detto Legato non è stato ben visto in alcun loco, et in Augusta haveano ordinato tra quello populo de uscir incontra Cento gioveni vestiti da diavoli, strassinando uno homo legato in habito de Cardinale; pur per advertimento de qualche persona de Consilio, forsi più per la enormità de la cosa che per ben voler, el conselio de la terra fece che non seguisse tal desordene.

Poi, a la intrata de Norimberga, fu non senza causa, preso conselio che non intrasse come soleano li legati cum le debite solemnitati. Il che mai dopoi che li legati se mandano, è accostumato far. Li quali et Caesar, et li Re soleno honorar ne le intrate de le citadi.

Ancora, è da advertir che el Duca de Saxonia Elettor subito inteso el Reverendissimo Legato esser in camino, se partì da la Diaeta, et molti altri Principi, et lassorno li loro Oratori pro forma, acciochè non se concludesse cosa bona, perchè dove per el legato venia proposto quello che la ragion et el dever volea, diceano non haver commissione da li soi Principi, overo communitadi.

Et per resolutione et resposta dil departimento de la Diaeta havendo li Oratori de le terre franche manifestamente dato pessima et impiissima resposta: la conclusione universale più cautelosamente va ad un medesmo fine, et ancor che pari prima facie più catholica, non dimeno ha in se molto veneno, et contiene (come è costume loro) alcune captioni assai facili, a cognoscere, perchè dove dicono esser tenuti exequir el Mandato Caesareo fatto a Wormes, et voler obedirlo quanto a loro sarà possibile, non è altro se non che dove non lo exe-

quirano, harano già parechiata la excusatione per questa sua resposta, de non haver possuto. Il che hanno fatto fino ad hora: che se havessero voluto ognuno per se far el debito como poteano, et ancor poteno, non si sarebbe incorso in tanto errore.

Et che sii el vero che habiino pessima intentione, et non dico non possino, ma non voliino exequir el Mandato, si cognosce evidentissimamente per un Capitolo de detta ultima conclusione, dove dicono deversi interim per loro examinar, et separar il bene dal male, de le opere de questi haeretici, acciochè finalmente si sapii che via si habii ad tenir, la qual cosa, oltra che per mille capi è piena de impietà, et scandalo, ad dir de pensar adesso che via se habii ad tenir in le cose de la fede; si vede oculatamente che è contra predetto Mandato. Nel qual si commanda expressamente che seguitando la sententia de la Sede Apostolica (A la qual sola appartiene iudicar tal cosa, et tuto el Christianesimo è tenuto in questa parte seguirla, como sempre ha fatto) tuti questi libri cum quello che in essi se contiene, e ben, o male siino prohibiti, et del tuto da annihilare. Il che in simili casi sempre fu observato et da li Apostoli come appar ne li atti, et da li Pontifici, et universali Concilii; quando se ha trattato de li libri de Haeretici, li quali se non havessero in se qualche apparentia de bono non sarebbero periculosi anci non da far stima. Et quello che è bono in loro, molto melio si trova, et senza alcun pericolo ne li libri approbati da la Chiesia.

Ancora hanno concluso presunptuosa et iniqua mente, che, a questo San Martino proxime futuro si congregino in Spira tuti li stati cossì Ecclesiastici come seculari, dove se habii a trattar de le cose de la Religion et doctrina Christiana; cosa in vero impia, et periculosa a la Christianità, si come a loro pertienesse senza el capo de la Chiesia disputar, o decider de tal materia, et non più tosto obedir li sui superiori et viver secundo el rito da la lege Divina et humana instituto, et fin qui continuato.

Finalmente hanno concluso de renovar la materia de li gravami contra la Sede Apostolica et el Stato Ecclesiastico de Germania, secundo la forma presa in la penultima *Diaeta de Norimberga*, non obstante che quelli gravami per la maggior parte siino falsi, et iniqui, et in alcuni lochi erronei tam in

materia fidei, quam morum, come quelli che sono stati composti per Cancellieri, et Conselieri lutherani, et se pur per li tempi passati ad grandissima instantia de la bona memoria Maximiliano, et de altri Principi de Germania, è stata concessa alcuna cosa non cossì ordinaria, già Nostro Signore felicemente regnante Papa Leone, et dopoi Adriano, et al presente Nostro Signore Papa Clemente sempre hanno abstenuto far tali concessioni, et è paratissima Sua Santità quando che per o ambasciatori de Sua Maestà, o alcune honeste persone per nome di questa Natione debitamente, et cum filiale obedientia sii advertita di alcuna cosa degna de correttione, far tuto quello che appartenghi a bon padre et pastore dil grege Christiano, et cossi fara, et ha fatto cum effetto per se medesma, dovunque la vede esser necessaria alcuna reformatione. Nè sarà debisogno che si facino questi tumulti, ne strepiti per ogni via perniciosissimi, a la salute de l' anima et beni temporali de tuto el Christianesmo.

De tute queste cose Nostro Signore ha voluto che sii advertita la Caesarea Maestà ad lungo, non solo per privato suo commodo, o dil Stato Ecclesiastico, ma per communicar cum Sua Maestà come quella che è il secondo lume dil populo Christiano, acciò che da li sopradetti atti la consideri se questi populi fanno pocco compto de Dio, et dil Suo Vicario, che tanto meno, a la giornata farano de Sua Maestà et de altri Segnori temporali. Et già ne hanno monstrato assai evidente exemplo: perchè oltra che quasi sempre quelli populi habiino usato pocca obedientia, a li suoi Imperatori, ultimamente in questa Diaeta non obstante che siino vasalli de Sua Maestà et prestatoli el iuramento non dimeno da se medesmi haveano concluso mandar Ambasciatori al Re de Franza, il che par che non bene convenghi nè a l' honor nè al commodo de Sua Maestà, et dopoi, essendo loro prohibito dal Illustrissimo Archiduca, et dal Orator Cesareo che non facessero tal cosa, hanno fatto alcune protestationi pocco honorevoli a Sua Maestà como quella ne deve esser da suoi più amplamente informata.

Le quali cose tute ben considerate, Sua Maestà deve hormai aprir li ochii, et postposta ogni altra cosa attender a dar remedio a tanto scandalo, che par tender a total ruina de la Christianità, et gravissima nota de Sua Maestà la qual oltra che è advocato primario de la Chiesia de Dio, ancora è molto

absurdo che havendo cum tanto matura deliberatione de tuti Principi et populi suoi subditi, come volea la ragion, fatto el mandato contra questa haeresia, non solamente non lo faci exequir, ma toleri ogni dì quodammodo in despetto suo farsi maggiori desordeni.

Et ancor che Nostro Signore habii fatto quanto appartiene a se in questa cosa, et che solo resti, a Sua Maestà far la executione come tute lege voleno, non dimeno Sua Santità serà sempre presta cum suo bon conselio et altri meggi che da questa Sede se pol et deve expettar, assister, et far l' officio de bon Vicario de Jesu Christo.

Per li remedii, è necessario che Sua Maestà quanto più presto mandi per questa causa expressamente in Germania un homo ben instrutto, et che sii de qualità et conditione che quelli Principi et populi cognoschino manifestamente che Sua Maestà se resente et dole esser fatta per loro questa enorme iniuria a Dio, a la religion Catholica et a Sua Maestà cum pocco honor de quelli populi, et damnatione de le anime loro. Li quali in cose de la fede tanto maturamente et religiosamente determinate primo per la Sede Apostolica, et poi per Sua Maestà et de conselio loro in così populosa Diaeta de Wormes non solamente non habiino obedito ad tal decreto ma ancor habiino hauto ardir in queste loro Diaete de Noremberga, senza deliberation de Sua Maestà limitar detto Edicto Wormatiense, et voler far nova congregation sopra tali materie; il che è de directo contra esso edicto, et le legi antique sacre, et Caesaree. Et che quando Sua Maestà fusse ben stata presente in Norimberga, per zelo de la fede, et honor suo non harrebbe praesumpto determinar questa cosa altramente che già era stata conclusa cossi sanctamente.

Però Sua Maestà per l' homo che l' ha ad mandar faci intender, a quelli tuti Principi, et populi, che non è cosa honesta, nè ragionevole, et resolutamente non è de mente sua, che con si manifesto scandalo de la Religion Christiana loro facino congregation alcuna in materia che tochi altro che le cose loro consuete del imperio, si como fin qui sono accostumati de far. Et in materia de Concilii quando loro desiderasseno alcuna cosa, devono recorrer, a Sua Maestà, La qual se cognoscera el desiderio loro esser justo et honesto, intercedera appresso Nostro Signore (al qual appartiene con-

gregar el Concilio) et tractarasi tal cosa cum li altri Re, et Principi Christiani perchè senza loro non si pol far Concilio Universale che vadi ben.

Non besogna che Sua Maestà remetti questa cosa, a la venuta dil gran Cancellieri de qua, perchè è necessaria l' autorità sua, et non de menor persone, ad far che quelli populi obediscano. Etiam perchè el gran Cancellieri non potrebbe cossi ogni fiata piliar conclusione de li remedii che parerebbeno a la giornata esser necessarii, senza nova resposta de Sua Maestà che sarebbe cosa longhissima. Et tanto più che la Natione Germanica suspiciosissima, et de natura pocco obediente, non darebbe fede a le ordinationi, che venissero dal gran Cancellieri essendo lui in Italia, anci direbbeno che fussero inventioni nostre. Il che non potrano dire se Sua Maestà mandara un' homo de Hispania per questa cosa solamente.

. Adverta la Cesarea Maestà che per l' honor de Dio et suo sarebbe bono si pensasse de privar lo Elettor de Saxonia, et transferir lo Elettorato in un Principe che più piacesse a Sua Maestà et paresse far al proposito de questa materia, et de le cose sue. Perchè el detto de Saxonia per esser stato autor et fautor de questa haeresia, meritasi per le legi sacre et imperiali esser privato, como etiam per la ignominiosa desobedientia, la qual lui ha usato contra lo Edicto de Sua Maestà et de tuto lo Imperio, che in vero è cosa non solamente de pocco honor a Sua Maestâ ma ancora periculosa in farli minuir, et forsi levarli la obedientia de li altri Principi, et Populi, se vedeno un cossi manifesto error del Duca de Saxonia esser impunito.

Sarebbe ancor bono che Sua Maestà pensasse, a dechiarar per adesso una sola de quelle terre franche esser incorsa in le poene del Banno Imperiale, et metterli le represalia si per Germania, como per tuti li lochi, dove hanno mercantie tanto più che si vede essi medesmi mercanti molto haver peccato in questa haeresia. Questo volentieri vederebbeno li Principi de Germania, et se metteria terror, a le altre terre, et Populi, etiam non senza grande utile de Sua Maestà. Et questi non sono remedii novi, ma consuetissimi, et per molto menor causa da li boni Imperatori più volte usati.

Finalmente tenghi certo Sua Maestà che Nostro Signore non si move in questa cosa per el privato commodo, o utile, che venghi de la Germania a questa Corte; che certo è tanto

pocco che niuno el potrebbe creder, ma per el danno de tante povere anime: et perchè amando Sua Maestà de amor Paternale, li dole, che a li tempi de quella, smembrandosi dal grege di Dio la nation Germanica, se imputasse, a Sua Maestà che per defetto de prudentia l' havesse lassato incorrer questi populi soi subditi in tanto error, o fusse stata negligente in retraherli de tanto male: Perchè non è de creder che Sua Maestà manchi per la piccolezza de forze, attento che niuno Imperator de Germania mai sii stato si potente: Il che par che la Divina providentia habii ordinato a nostri tempi, per dar remedio a questi errori, in li quali Dio ha permesso una parte del Suo Populo incorrer per li loro peccati.

Et per ultima conclusione sapii Sua Maestà che Nostro Signore dopoi fatta ogni diligentia che ad se appartiene per non lassar perir questa Natione, si vedrà che d' altrui manchino li debiti remedii, se remettera, a la volunta de Dio, et attendera cum lo adiuto di Dio gubernar el resto del Grege ad se commesso, et sara sempre vero Pontifice; et iam bona conscientia non potra esser se non grande: Ma che Sua Maestà ne harà più a perder, considerando oltra el carico de l' anima et dil honor, etiam la iactura che farà de li beni temporali, del che non solum Sua Maestà ma ancor li soi Successori et el sangue suo ne harrà incommodo, deshonor, et danno, non solo in le cose de Germania, ma (che Dio non lo volii) forse ancor ne li altri soi regni et Dominii, che per simel exemplo se potrebbeno facilmente levar, vedendo li errori de Germani esser per Sua Maestà impuniti. Perchè li Populi sempre sono cupidi de novitade, et specialmente desiderano levarsi dal collo il iugo de la subiectione.

155.
Clemens VII. Archiduci Austriae.

(Armar. XI. caps. XII. N. 13.)

(11. Maii 1524.)

Dilecte fili etc. De tuo prestanti animo in christianam rem et fidem, amore erga nos, in Sanctam Sedem apostolicam officio, iam usitatum est nobis aliquid audire quotidie; et quo-

modo tua singularis virtus ac pietas in omnibus gerendis rebus versatur. Itaque, quamquam dilecti filii nostri Laurentii cardinalis legati testimonium crebro audiamus de te omnia preclara commemorantis et te tuis consiliis, studiis, actionibus confidere ac nisi ingenue predicantis; tamen facta tua omnium testimoniis sunt maiora. Quae hoc etiam nobis gratiora accidunt quo non dubitamus te, in tanta tua fide, tanta virtute, quam Deo cuius ipsius causa tuendo ac sustinendo prestas, dare et aliquid amori nostro, quo tu nobis affectus nos vero erga nobilitatem tuam mirifice incensi sumus, vel enim quia tu talis et ut dignus maxime sis qui ameris, vel quia nostrum omne iudicium ac studium iamdiu serenissimo Cesari tuo atque tibi ac omnium eminentissime domui vestre fuit deditum, ita nobilitatem tuam nostra flagranti benevolentia complexi sumus ut videamus in tui memoria et recordatione potissimum acquiescere. Accessit sancta et celestis coniunctio que nostros animos precipue copulavit qui in Dei summi causa communiter laboramus, nos pro aliorum salute, tamen pro tuorum, quamquam nobis alieni non sunt quos Deus omnipotens nostre cure et pastorali vigilie voluit esse commissos, maxime animo autem sunt tui inter quos tu imperio excellis et pietate, qui tamen tibi, sicut debent, essent dicto audientes, tuisque salutaribus praeceptis et monitis obtemperarent. Profecto nec ipsi ruerent in animarum suarum exitium cum tantis et tam pernitiosis erroribus, et nos laborum nostrorum fructum optabiliorem haberemus. Sed utcumque hec ita turbari permittit Deus, nobis nostra omnis est dignitas in Deo et recta voluntate constituenda. Illud mirati sumus vel doluimus potius, tua nobilitate presente, decretum in Conventu fuisse factum in cuius exordio cum videantur omnes decreti Wormatiensis mentione facta quod hic per serenissimum fratrem tuum Cesarem et illum conventum fuit statutum, illi decreto velle reverenter et sicuti decet parere, mox in progressu revocatur in controversiam, et que disputabilia sunt ex novis damnatisque iam doctrinis in futura dieta decernuntur proponi; in quo non magis certe illuditur Sedes Apostolica quam ipse Cesar, et tu qui vim et auctoritatem geris Cesaris. Sed quum de his ad supradictum legatum nunc scribimus ut cum Nobilitate tua communicare habeat; tu illi fidem prebebis, teque ad perseverandum in optimi et invictissimi principis officio ut

semper solitus es exhibebis paratum. Nos enim Nobilitati tuae gratias quas semper debemus pro ipsius meritis libenter agimus et tue prestantissime menti ac pietati eam prestamus benevolentiam ut nihil ardentius nostro erga te amore reperiri facile posse videatur, Dat. etc. Die XI Mai MDXXXIV. Anno Primo.

Sadoletus.

156.

Clemens VII. electori Treverensi.

(Arm. XI. Caps. XII. N. 16.)

(11. Maii 1524.)

Venerabilis Frater etc. De optimis officiis fraternitatis tuae erga fidem Christi, et Sedem hanc Sanctam, per litteras Dilecti filii nostri Laurentii Sanctae Anastasiae Praesbiteri Cardinalis Campegii, nostri, et Sedis Apostolicae de latere legati certiores facti, est quod agamus gratias Deo, qui in quamvis magna copia zizaniorum, aliquid tamen boni et electi seminis semper reliquum esse vult, quod fructum centuplum possit afferre; Tuae vero fraternitati plurimum cum Domino gratulemur, quae sola nobis visa est, aut certe cum paucis, non solum obtrectatione divini nominis, quod omni christiano ritu confundendo, in opprobrium vocatur, propter eam, qua praedita est religionem molestia affici; sed propter sapientiam etiam, quorsum ista tendant, et quem ad finem spectent, praevidere. Utinam tam prompte remedia tanti mali invenire possemus, quam promptum est omnibus istius nationis principibus ac praesertim ecclesiasticis (nisi Deus averterit) periculum! Ac nos quidem, si temporalia commoda spectemus, parum aut nihil sumus amissuri, salva enim semper erit nobis dignitas; sed noster omnis dolor ex Deo est, neque incommodo nostro, sed pereuntium animarum misericordia; et divini cultus dispendio, commovemur. Cum ergo videamus quid novissime in proximo conventu Norimbergae fuerit statutum: in quo cum premissum fuisset omnium consensu, se decreto Wormatiensi, per conventum illum tunc praesente Caesare facto, esse sicut decens erat, obtemperaturos, ad extremum

quae tunc determinata et damnata fuerunt, rursus in controversiam et disputationem vocantur, ut detur omnia confundere quaerentibus sui veneni fundendi et propagandi facultas: quasi aliquid boni seligi ex illis possit, et non contagione pestilentium proxima quaeque inficiantur, eandemque reddant tabem. Sed de his Deo omnipotenti, quem testem et iudicem animi nostri recti, atque istorum, qui talia alunt voluntatis facimus (sic) profecto erit curae. Nos tuae fraternitati debitum honorem, pro ipsius maximis meritis voluimus reddere, et Tibi agere gratias, qui in optima mente et sententia semper persiteris. Hortari autem te, ut supradicto Legato nostro et amore, et studio, et diligentia consiliorum tuorum assistas, siquid forte remedii possit ostendi, non arbitramur necessarium esse: non eget enim admonitione, pietas in Deum tua. Illud potius monere te, et significare tibi volumus, quaecumque ad commodum et honorem tuum ac tuorum pertinebunt, nos semper studiose, amanterque facturos, sicut dicto nostro Legato mandavimus, ut tecum nostro nomine communicaret. Cui fratenitas tua omnem fidem praebebit.

Dat. Romae die XI. Mai MDXXIV. Anno primo.

157.

Clemens VII. Cardinali Eboracensi.

(Clementis VII. Brevia Ann. I. ep. 347. fol. 387.)

(16. Maii 1524.)

Mittimus ad istum Regem invictissimum et ad circumspectionem tuam exemplum eius deliberationis et decreti quod in hac proxima Nurembergensi dieta Germaniae factum est, circa res fidei et causam hanc Lutheri; in quo aliqua bona sunt. Videntur enim Decreto Wormatiensi quod tunc in conventu illo per Caesarem ipsum de Conventus sententia editum fuit, magna ex parte velle obedire; aliqua vero non ita nobis probantur; revocare enim rem ad novas disputationes et conventum ob hanc causam indicere, causasque et determinationes fidei sanctae toties iam factas atque receptas rursus ponere in controversiam, sentit nonnihil a veritate et integra religione profecto dissentaneum. Sed haec inaequalitas et discrepantia accidit quod in magno conventu ubi multi boni sunt, malos

etiam intervenire, sicut in bono tritico zizania necesse est. Illud nobis non admodum modeste factum visum est quod de Concilio loquuntur generali non secus ac si soli domini omnium rerum essent, et Christianitas una sit Germania; cum et ad quem pertineat, ac quorum de consensu convocare Concilium omnia iura demonstrent, et nunc eis incommodis implicita sit Christianitas ut multa prius explicare necesse sit, quam huc devenire. Verum haec gubernabimus ea ratione quam inspiraverit nobis Deus, animo quidem etiam maiore quam tantorum turbinum concursus qui et a Turcarum armis et ab intestinis Christianorum incommodis nos praemunt, videantur postulare. Quid enim vel animi vel consilii deesse potest rite et firmiter in Domino sperantibus? Habebis etiam protestationum exemplum quae per liberarum civitatum Nuncios in eodem conventu factae sunt, quae quo animo sint, infido vide licet et corrupto, et quid nobis in presentia videatur afferri remedii posse, ad dilectum filium Melchiorem Langum Camerarium nostrum cum circumspectione tua praecipue communicandum mittimus, cui tu fidem omnem habebis. Nostrum est nunc hortari in Domino circumspectionem tuam ut singularem eam prudentiam qua in primis pollet et auctoritatem qua summe est praedita, conferre omnem ad tutandum Christianae fidei et huius Sanctae Sedis, cuius ipsa honoratissimum membrum est, decus non postponat, eumque amorem quo nobis proprie affecta est et cui nos non minori benivolentia respondemus, in hac re totum ostendere; si tamen perennis et perpetua laus tua et istius summi ac nobis coniunctissimi Regis in hoc negocio maxime posita est ut possimus aliquando Rempublicam Christianam tot incommodis laborantem his perniciosarum haeresum et gravissimae impietatis malis, Deo annuente, liberare. In quo tu quidem dignissimam ac sanctissimam operam praebes; undique enim intelligimus ac etiam ex eiusdem Melchioris litteris qua prudentia et vigilia serpenti huic labi circumspectio tua occurrat, quam quomodo idonee ..... ob tam singulare meritum non repetimus; nam neque ..... litterae animo nostro satis ..... in coelo perpetua inter homines profecto singular ..... litterar cum summo .....[1]).

Dat. Romae etc. Die XVI Maii 1524 Anno p°.

---

[1]) Ob originale omnino corrosum verba desiderata perierunt.

158.

Exemplum Capituli litterarum Caesaris ad Ducem Sessae et alios oratores in Urbe.

(Armar. XI. Cap. XII. N. 28.)

(Circa Maium 1524.)

Ancora ci ha scritto un' altro breve supra le cose de Luther et la conclusione che se è presa nel ultima dieta imperiale in Nurimberga con la intimatione di nuova dieta a Spira per la convocatione di tutta la natione Germanica, per attendere alle cose de dicto Martino Luther et altre del Turco et dello Imperio dirette a Sua Santità, che ci è doluta assai questa convocatione et conclusione per che vediamo che di quella non può seguir se non maggiori scandali et errori, alli quali Dio sa quanto noi vorremmo con tutte le nostre forze ovviare, et per questo effetto habbiamo comandato che di presente si scrivino lettere al Illustrissimo Infante nostro fratello, al Reggimento, alli Elettori Principi et Stati del Impero generali et particulari, la copia delle quali saranno con la presente a causa le possiate mostrare a Sua Santità; et perchè potria essere che dette lettre non facessino l' effetto che converria per impedire la detta convocatione, et a noi ne potria seguire maggior displicentia in non obbedir alle nostre lettre come fecciono dello editto tanto solennemente promulgato nella città di Wuormatia, et vedendo che questo male cresce tanto et piglia tal vigore che non si potria extirparlo senza uno delli dui remedii, o con la presentia nostra per gastigarli rigorosamente, la qual non potria essere tanto presto, o che si facesse una convocatione d' un concilio generale per eradicare questa setta con ragione et giustitia, el qual siamo resoluti rimettere a Sua Santità, acciochè vegga et conosca quel che li parrà meglio debbiamo far dal canto nostro perchè non habbiamo a mancare con la robba, con li stati et nostra propria persona come buono et vero figliolo di Sua Santità et della Santa Sede, al remedio di questo tanto evidente danno della religione quanto in noi sarà possibile et la Sua Santità deliberassi et li piacessi di mostrare che vuol compiacere a quella natione in convocare el concilio universale di tutta la Christianità come

loro l' han chiesto al Cardinale Campeggio Legato di Sua Santità, per ventura saria meglio de prevenir la detta Dieta di Spira et far l' intimatione et publicatione del detto Concilio universale per la estate proxima et più presto che si potesse fare; et poi demandono si faccia nella Magna, potria Sua Santità eleggere per questo la città di Trento, che per loro è tenuta della Magna ancora che sia in Italia, et avanti che venisse 'l tempo della convocatione si potria con giusta causa mutarlo in altro luogo più a proposito o in Roma, o in altre città d' Italia, et ancora che 'l termine della convocatione fussi per primavera per impedir più facilmente la Dieta di Spira, si potria di poi a nostra requisitione prorogarlo. Direte a Sua Santità che consideri molto ben el tutto et ci avvisi il suo parere, che non lasceremo di seguir suo buon consiglio come di nostro vero padre, et correesponderli come buon figliolo et protector di quella Santa Sede. etc.

159.

Carolus Clementi.

(Epist. Princip. I. fol. 219.)

(18. Maii 1524.)

Beatissime Pater Domine Reverendissime.

Libenter eorum commodis consulimus, quorum fides industria et assiduus labor ac diligentia non solum nobis et maioribus nostris, sed etiam Sanctae isti Sedi et orthodoxae fidei usui et ornamento fuit. Cum itaque honorabilis utriusque juris Doctor Balthasar propositus in Waltkirch consiliarius noster devotus dilectus in magnis et arduis rebus Divo Cesari Maximiliano Domino et avo nostro colendissimo preclarissimae memoriae diligentissime serviverit, et Imperialem Cancellariam summa cum laude et integritate multis annis administraverit, nec non defuncta eius Maiestate ad obsequia nostra evocatus, nobis cum multis in rebus, tum praecipue in conventu nostro Imperiali Wormatiensi singularem operam et fidem illibatam navaverit; quippe ibidem contra lutheranam heresim mira

eius industria precipuaque doctrina, et intimus zelus, (quem certe in tanta reipublice Christianae calamitate et discrimine cujuslibet vere Christiani hominis pectus insidere decet) clarus illustrisque extitit; quare huius viri dexteritate fide et doctrina usque adeo devincti atque illecti sumus, ut ipsum prae coeteris supramemorati Avi nostri consiliariis solum dignum censuerimus, quem apud nos in Hispania haberemus, eiusque consilio et opere in administratione Sacri Romani Imperii potissimum uteremur; qua in re cum nobis ita operam suam navet, nihilque ipsum in omnibus actionibus suis tam cordi habere, tamque studere et conari animadvertimus, quam pro pacto lutherani furoris virus e Germania nostra quam celerrime ac plenissime extirpari et evelli possit; jure merito cogitationes nostras in eodem ornando atque honestando convertimus. Verum cum ipse non nisi in superiore Germania patria sua Ecclesiasticis beneficiis donari et remunerari cupiat, Nobisque pro nunc nulla sit in ea provintia Sacerdotiorum conferendorum facultas aut commoditas, supplicamus Sanctitati Vestrae etiam atque etiam dignetur vel nostra causa, vel eximiorum etiam dicti Balthasaris meritorum intuitu, vel propter ipsius in Sanctam istam Sedem singularis studii et fidei ardorem, eidem de speciali vestra gratia reservationem Beneficiorum Ecclesiasticorum usque ad summam duorum millium Ducatorum auri, in civitatibus et Dioces. Treverensis, Argentinensis, Constantiensis et Basiliensis, proxime vacaturorum benigne concedere; ita quidem quod hujusmodi reservatio, etiam ad Dignitates principales tam Metropolitanarum quam etiam Cathedralium et Collegiatarum Ecclesiarum in meliore forma latissime extendatur, ac etiam si opus fuerit, qui in hujusmodi concessione reservatio spiritualis ad Propondituras sanctorum Paulini et Symeonis intra et extra muros Treverensis eidem compectatur. In quo Sanctitas Vestra rem faciet et clementia sua dignam, et nobis imprimis iucundam atque acceptam, quam nos etiam erga eam omni filiali nostra observantia recognoscere laborabimus, quemadmodum ex magnifico fideli dilecto Oratore et Consiliario nostro Gerardo de Plana, Rupis Domino (cui in his etiam omnimodam fidem et benignam audientiam exhiberi cupimus) latius intelligere poterit, et Sanctitatem Vestram optime valere sacrosanctaeque Ecclesiae diu foeliciter preesse cupimus. Datum in Civitate nostra

Burgensi die XVIII. Mai Anno Domini MDXXIV. Regnorum nostrorum Romani quinto aliorum vero omnium nono.

Carolus divina favente clementia e. Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae Hispaniarum utriusque Siciliae, Hierusalem, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae Brabantiae, etc. Comes Flandriae etc.

Alexander.

160.
Joachinus Brandeburgensis Clementi.

(Epist. Prino. I. 221.)

(20. Maii 1524.)

Post beatorum pedum oscula devota, paratissimum obsequendi affectum. Sanctissime pater Domine clementissime, licteras quas Vestra Sanctitas summo sue paterne pietatis animo Reverendissimo in Christo patri Domino Laurentio Tituli Sanctae Anastasie presbitero Cardinali Campegio Vestre et Apostolice Sedis, ad proximum Imperialem Conventum Nurimberge celebratum, de latere legato, ad me dederat perferendas, gratulanter accepi, quibus incredibilem et fermissimam sibi de me propulsande lutheriane infectionis, nec non procurande tranquillitatis, et cristiane reipublice defendende opinionem concepisse intellexi. Egissem equidem ad Vestre Sanctitatis vota, hoc cristianum opus, quantocumque meo presidio accuratissime si per negotia mea urgentia conventui antedicto, sicuti animo affectabam interesse licuisset; profecto etenim ingens gaudium michi insedisset, tum ipse consilio studio labore et hortatu, quidquam quod in honorem Omnipotentis Dei, communis cristianitatis salutem, imo et Vestre Sanctitatis, totiusque Romane Ecclesie augmentum cessisset, efficere potuissem; eodem potissime intuitu, quo Vestra Sanctitas tam nimis emergenti heresi et furori populari condolens, tanta gratia et pietate pro sublimi pastorali suo officio erga Germanicam Nationem affecta, Sacri Imperii proceres legati sui auctoritate, prudentia et ope commonebat, quo turbatis rebus consulatur ferventius. Qua re cum gratius michi ac-

cidere nequeat, offerens me ac omnes vires et ingenii et fortune impensurum, in hiis que ad conservandam cristianam, et fidem et religionem conducunt; attamen Vestram Sanctitatem latere nolo a plerisque adversariis meis super me, etiam quantumcunque iustis causis fulcitum, multa coniurari, quo in vetustissimo hereditario iure meo, quadam nescio velata adhesione vehementer turbare, et propterea Vestram Sanctitatem, quam sibi turbationem et iniuriam meam, haud secus, quam suam propriam existimare non diffido, humillime rogo, pro Vestre Sanctitatis in me comprobata affectione comodiori qua studiosissime poterit, via in primis precibus suis apud Cesaream Maiestatem, michi ita prodesse dignetur, et tandem efficere, ut gratia et presidio sacratissime Cesaree Maiestatis Domini mei gratiosissimi, apud quam Vestra Sanctitas auctoritate maxima pollet, sub iusticie clipeo, uti et Sua Maiestas spontanea benignitate me semper amplectitur, in iuris et possesionis mee conservatione tuear atque defendar; quod si Vestre Sanctitatis operam michi profuisse sentiam me sibi et Apostolice Sedi arctiori recompensationis vinculo divinciet. Si quid etiam prefatus Sedis Apostolice legatus Vestre Sanctitatis nomine, denuo michi per se vel suum quemquam fidelem retulerit, benigna audientia consilio et opera, eidem non deero. Ceterum Vestram Sanctitatem plurimum peto quo Reverendus in Christo Dominus Johannes Episcopus Hyldemsheymensis affinis meus charissimus tum ab Ecclesia sua veluti exul ac profligatus in iustissima sua causa Vestre Sanctitis gratia et assistentia foveatur; agit in eo namque Vestra Sanctitas rem sue pietatis dignam, et michi longe gratissimam erga Vestram Sanctitatem quam Deum optimum maximum felicissime in evum conservet pro viribus remerendam.

Date ex castro meo Coloniensi Vicesima die mensis Maii Anno Domini Vicesimo quarto.

Eiusdem Vestre Sanctitatis.

Joachinus Marchio Brandemburgensis Sacri Romani Imperii Archicamerarius Princepsque Elector Stettinensis pommeranie etc. dux etc.

Manu etc.

161.

Duces Bavariae Clementi VII.

(Epist. Principum I. fol. 24.)

(6. Junii 1524.)

Cum Reverendus et Illustris Princeps, Henricus ex Comitibus Palatinis Reni et Ducibus Bavarie, Prepositus Cloacensis ac modo (uti fertur) in Coadiutorem Vormaciensem deputatus frater consanguineus noster charissimus, per capitulum traiectense in Episcopum Ecclesiae eiusdem electus fuerit, intelligamusque Episcopatum eundem iam aliquot annis multa hostiliter passum adeo ut oppida quedam hostium expugnatione desciverint, reliqua vero ad ingentis exactionis et tributi annuam prestationem compulsa sint, cui adversitati frater et consanguinens noster non nisi profusissimis sumptibus resistere poterit; perspiciamusque Vormaciensem Ecclesiam adeo venenatam ac Lutherana heresi infectam ut non nisi potenti manu curanda sit, verendumque si coadiutoriam talem frater et consanguineus desierit nemoque magnatum eam tutandam susceperit exitium ei Ecclesiae imminere; Ut igitur utramque Ecclesiam suis viribus restituendi sepedicto fratri et amico nostro occasio facilior prestetur, S. V. perquam devote et humiliter precamur ut preter erogacionem aliquam, electionis confirmationem ac coadiutoriae cum ceteris eius beneficiis retentionem clementer largiri, eiusque se precibus exhorabilem prestare dignetur. Unde futurum speramus ut singulare industria eius, nostroque omni ope, utraque ecclesia a tam miserabili lapsu fortunatiorem erectionem sensurae sint, facietque S. V. in hoc rem uti eiusdem ecclesiis utilissimam, ita et nobis gratissimam, quam omni conatu debitaque diligentia promereri studebimus, talesque erga S. V. nos ostensuros speramus, ut facile in nobis obedientissimos filios ac penitus devotos cognoscat, cuius sacratissimis pedibus nos humiliter commendamus. Ex Breidelberga VI. Junii anno a nativitate Christi MDXXIV.

S. V. — Deditissimi filii

Fridericus Dux Bavariae,
Comes Palatinus etc.

Ludovicus Dux Bavariae,
p. manum prop.

Philipus Comes Palatinus, Dux Bavariae.

162.

Ferdinandus Archidux Austriae Clementi VII.

(Arm. XI. Caps. I. N. 74.)

(30. Julii 1524.)

Si tam magno successu quam magno studio pro pietate mea in Religione promptaque erga Sedem istam observantia conatus meus profecisset, excitatis istis periculosis erroribus atque rerum confusioni optatus finis in proximo Imperii Conventu impositus esset, aut saltem magna eorum qui ab orthodoxa fide desciverunt, pars in rectam viam rediisset; quamquam ego propterea hoc studium, huncque animum neque declinavi neque despondi, non ignorans aliam tota mea vita vix dari posse occasionem qua Deo gratius obsequium prestari possim. Quapropter cum hac non successisset via, nimium Deo adhuc irato, aliam arripere libuit, per quam apud Ratisbonam id, propitio illo, obtinuimus, quod Noremberge nullis modis obtinere quivimus. Jamque ego ipse facto synceritatis mee fidei, absit iactantia verbo, exempla indies presto non obscura. Quippe non est aliud sub sole quod ardentius desydero quam quod de medio Provinciarum mearum tollatur tam tetrum hominum genus; quod non ob aliam causam Beatitudini vestre scribo quam ut leniat dolorem illum suum quem ideo accepit, quantum ex litteris suis intelligere potui, quod que sanctissimi Patres procul dubio afflati Dei spiritu condemnarunt, per Lutherum quasi ab inferis denuo eruta, in futura dieta in disputationem proponi debeant. Quod autem eisdem litteris me ad perseverantiam exhortatur, quam etiam in partem pluribus Rev^mus Dominus legatus mecum egit, persuasum esse velim Beatitudini vostre mihi omnino curae fore ut quod coepi qua licebit praestabo, et exequar per omnem occasionem offitium boni et iusti principis, qui Ecclesiae Dei prodesse debet, posthabitis omnibus privatis affectibus. Nam hic respiciendum non est quod plures faciunt sed quod fieri debet, parvi quamcumque faciens iacturam quam aerarium meum accipit in opprimendis subditis meis hac labe infectis et quidem non privatis tantum sed totis oppidis, quae presidio et robore militari tuenda sunt, ne ad seditionem res exeat. Quae res

non parum obfuit institutae meae contra impium Turcam defensioni, qui crebro populos meos vexat clade, incendio, praeda, depopulatione, cuius tanta est potentia, ut illi ego, si etiam res meae essent longe florentissime, par esse nequeam. Cumque nuper recensitis viribus meis, cunctis viderem eas omnibus simul numeris nequaquam sufficere cum pro ponendis opportunis praesidiis circa loca discrimini exposita, tum pro cohibendo ulteriori impetu et hostili incursione ad interiores provincias meas, quarum pomeria iam rabies illa ferocissima attigit, ad expetenda externa auxilia confugi, ipsa necessitate, nulla voluntate adactus, si modo externa appellari debent quae a me contra communem hostem petuntur. Fallor si hoc casu studium omnium commune esse non debet. Quantum autem opis et subsidii Beatitudo Vestra si potuisset, prestatura erat, facile ex literis suis cognovi, quibus mihi omnem inopiae et debilitatis suae rationem aperuit, Sanctumque lubens amplector suum in me animum, cum ob hoc ipsum qui tam paterne mihi mentem suam significaverit, tum quod pollicetur si aliqua interim se aperuerit occasio subveniendi mihi, quod eam non sit pretermissura. Atque utinam id tam vere eveniat quam fiducialiter optat, scilicet Deum manum illam hostium in aliam partem aversurum esse; sed hanc securitatem mihi perpetuam fore non sinit frequens nuntius qui admonet Tyrannum illum si alias unquam pertinacius spirare exitium Christianorum, hasque incursiones sequuturas validissimas copias. Itaque velim nolim cogor et impellor undique flagitare subsidia, quibus saltem inter Provinciarum mearum limites muniam et custodiam ne quidpiam irreparabilis iacturae et incommodi ab hoste inferatur, donec coeteri Christiani potentatus positis dissidiis et simultatibus, cui rei omnem Beatitudo Vestra impendit iam operam, et iustam et necessariam illam generalem expeditionem suscipiant. Erat autem animus meus hac aestate si ad meas auxiliares illae vires quas certa fiducia promittebam accessissent, non solum firma praesidia collocare sed etiam quae recens loca hostis abstulit recuperare. Mihi certe dici non potest quanta amaritudine animae meae accipiam meorum excidium, idque eo me cruciat magis quod ego miseros, nisi adiuvar, incolumes servare nequeo a tyrannide impiissimi hostis. Et tamen quam sub hac aestate destinaveram facere expeditionem ob defectum subsidiariarum virium intermissam cum

Dei adiutorio prosequendam meditor iam futuro anno, cuius causa me ad has patrias recepi in Imperii aliisque superioribus meis provinciis quantumvis mea praesentia aegre caruerint, ut dem ordinem cum his provincialibus meis, quos Tyrannus ille prae caeteris infestat magis, tam circa parandum commeatum et victualia quam instruendam Artelariam et quae ad illam necessaria sunt, sine quibus tanta res penitus confici nequit. Itaque subsidiis pecuniariis adiutus, positis in ordine tam necessariis commoditatibus, et provisionibus factis, alacer rem aggredi possim. Atque utinam id propriis sumptibus facere liceret, tum neque Beatitudini Vestrae neque ulli mortalium essem onerosus. Quamprimum, maiorem in modum et hortor et rogo ut me iam velut importunum exactorem non repellat a facie sua, sed mansuetudine et clementia sua incomparabili non solum benignas aures praestare sed etiam, ut iterum atque iterum imploro et quam maxime possum serio et in plenitudine spei et fiduciae meae quam posui in eam, obsecro, quantum eiusmodi auxilii possit ferre mihi impartire, eiusque modum et rationem in tempore aperire dignetur, ut collatis huc omnibus opibus et viribus meis, proximo anno propulsem hoc quod imminet cervicibus subditorum meorum exitiale malum; vicissim daturus operam ut eam istius auxilii non paeniteat, qui brevi, propitio Deo hoc metu hocque malo liberatus et securior factus, totum deinde me ipsum ac caput meum convertam ad defensionem sanctae Sedis et istius dignitatis. Quem interim protegat et tueatur ille qui eius auctor est, Deus noster Christus. Ex Vienna, die Tricesima Mensis Julii Anno Domini MDXXIV.

E. S. V.

Humilis et obsequens filius

Ferdinandus Arch. Austriae.

Ia. Spiegel.

163.

Hieron. Rorarius Mattheo de Gibertis.

(Armar. XI, Caps. XII. N. 15.)

(31. Julii 1324.)

Da Augusta scrisse copiosamente a V. S. et le avisai etiam el modo havea imaginato ad extirpare la perfidia lutherana, et maxime nele terre franche, et gionto qui lo ho conferito con el Rmo Legato, qual è concorso in quella medesima sententia, perchè in effecto non è altro mezo a ponerli el freno, et me ha dicto chè già era sta previsto, et scripti brevi al serenissimo Re d'Ingiltera[1]). Io li respose che questo non bastava perchè el re de Ingiltera non facilmente se moveria a tal cossa, dubitando forse che poi li Osterlingi non se movesseno contra di se retenendo lì quel polvere usa li Inglesi a conservar le sue pecore, senza el qual in minor termine de dui anni morerieno tutte; a la qual cossa è provisto con la opera ho scripto a V. S. haver facto con quelli de Lubech, la qual terra è la principal et capo de li Osterlingi, et come quella habia consentito tutte le altre convien haver patientia, onde è necessario che tractandose tal cossa con el serenissimo Re de Ingiltera sua Serenità sia informata de la voluntà de quei de Lubecha, che tanto più facilmente consentirà. El Rmo Legato ha dicto volerne scrivere a Misser Melchior et io ne ho voluto dar aviso a V. S. aciò parendoli ne possa etiam scriver al prefato et credame V. S. che non è altra via, et quando se habia operato tal cossa con Ingiltera se potrà poi tanto più facilmente operar con Fiandra et con Venetiani et sarà lì da ogni parte levato el poter mercar et consequemente el poter lungamente in tal Stato durar.

Referite al ser^{mo} Principe li gentil portamenti de la sua Serenissima Sorella, et poi del suo marito et che N. S. contra

---

[1]) Modus quem Rorarius indicaverat et quem historici Papae Clementi tribuunt, hic erat: Reges Angliae et Portugalliae non recipiant propriis portubus commerciantes germanicos illarum regionum quae, non obedientes edicto Wormatiensi, suspicionem praebebant haeresis lutheranae. Sic enim avidum populum temporalibus damnis plectebatur. Tali modo saeculo XVI Rorarius Germanos impugnabat iisdem armis quibus saeculo XIX Napoleo imperator, diversa pro causa, impugnavit Angliam.

lo honor suo havea mandato per gratificar a la Maestà Cesarea, et sua serenità restò morto maxime de la sorella et me disse alcune suspicion havea havuto di lei quando fu in Norinbergo et me rengratiò più volte quel havesse facto intender. El giorno sequente vene a casa del Rmo Legato et da se li fece intender che volea de man sua scriverli se non mutava proposito che non era per haverla per sorella, nè volea mai li venisse davanti, et similmente volea scriver a la Serenissima Madama Margareta che li facesse cognoscer lo error suo. Ha facto prendere diversi in questa terra, alcuni per haver facto profession de esser lutherani, altri per haver venduto libri de Luthero et spero fra pocho tempo la haeresi lutherana sarà funditus extirpata nel patrimonio suo mediante la gratia de Dio et la opera et prudentia del Rmo Legato. . . . .

Viennae die ultima Julii MDXXIV.

164.

Card. Campegius Archiepiscopo Capuano.

(Nuntiat. German. LIII. fol. 8.)

(12. Augusti 1524.)

Dopo ch' io sono in questa legatione, io non ho giamai expettato con tanto desiderio risposta ad alcune de le mie lettere quanto hora a le de VII di Luglio con le quali scrissi de la conclusione del convento di Ratispona, la quale non essendo fino a questa hora capitata fa chio non posso passar senza dispiacere, et ch' io non mi stia tutto suspeso, parendomi pur necessario che di quelle cose lì ordinate io ne havessi la mente di N. S. se forse ciò non fusse che in qualche parte non havessino satisfacto quelle actioni, ch' io non vorei già per ogni gran cosa; et quando pur sia, spero facilmente haverne venia da Sua beatitudine, la qual come prudentissima haverà considerato a che tempo, con cui et in che materia ho havuto a negociare et che tutto da me è stato fatto con diligentia et con animo di ben fare; et se V. S^ia^ fusse stata presente alle dimande che mi erano fatte et ch' io dovessi statuire et con quanti et diversi sopra diverse materie mi è bisognato fare cose diverse et transformarmi in varie figure

come dissi in dette mie lettere, credo sarei iudicato più degno di compassione che de riprensione alcuna. La qual però accettarò sempre con ogni debita reverentia et obedientia come conosco essere il debito mio, nè altro mi dolerà se non che la non sarà venuta in tempo ch' io possi emendare in qualche parte quello che forsi o per non vedere più o per non havere possuto altramente, si fusse errato, perchè di già la bolla mia è expedita et data a questo Serenissimo Principe che l' ha fatta tradurre in lingua germanica et stampasi in utraque lingua de la quale poi ne mandarò copie autentiche a tutti questi archiepiscopi per se et per loro suffraganei scrivendoli in bona forma et ricercandoli alla observatione. Ma per quello ch' io sento parmi che quello convento habbia partorito buon frutto, che non fu mai da existimare che Dio abbandonasse la causa sua, et si cognosce che veramente un buon principio è quasi la metà di quello che si ha a fare. V. S. vederà per la copia de li avisi che saranno con questa, quello si è ordinato et statuito in diversi luoghi et da diversi a beneficio de la fede, et de dì in dì spero di meglio et precipue per quello che hanno fatto quelli de Ulma, di che vengo in opinione che le altre terre anchor resipiscent et con summo desiderio expetto intendere in questo convento che hora fanno in Spira quello che si concluderà et per questi preambuli molto ne spero bene, et come più volte ho detto se la M^tà^ Cesarea farà il debito almeno in parte, spero che queste materie pigliaranno buono indirizzo et che la verità starà di sopra, quantunche sia una cosa horrenda et crudele sentire quello che predicano questi ribaldi preti et apostati che mi meraviglio che la terra non si apra et se li ingolli.

Qui procediamo gagliardamente contra questi predicatori et habbiamo in prigione el capellano del locotenente, qual comincia a riconoscersi et dimandar perdono con offerirsi a sostenere ogni pena et si procurerà anchor di castigare alcuni altri seminatori di questa peste in queste parti.

Al primo del mese receveti le di V. S. de XIV et XVII che mi furon sommamente grate intendendo che 'l principio dato al trattamento di Ratispona satisfaceva a N. S. la qual cosa mi fa sperare che 'l fine anchora le sarà satisfatto, che così molto desidero. Dal protonotario de Migli sono avisato che ha havuto li cc fiorini di Erasmo et circa il remedio scrissi

de la mittà dei frutti etc. N. S. prudentissimamente discorre, nè io lo dissi per cosa che si dovesse così absolutamente fare o concedere, ma più presto per via de un motivo, essendomene accennato qualche cosa. ....

Dal mio familio, ch' io mandai con li trassumpti de le bolle del ieiunio a quelle parti del Reno, ho aviso che alli tre elettori le ha date in proprie mani et che le altre mandava tutte sicure et fidelmente. Et più mi dice che 'l R. Coloniense viene personalmente al goberno imperiale in Esling per questi primi tre mesi segondo loro ordinationi et che l' ha incontrato che già era in camino, donde giudicarei che fusse assai opportuno che N. S. gli scrivesse un buon breve come a capo di detto governo, exhortandolo etc. etc. così ancho a tutto il governo assieme, perchè ho informatione che tutti pensano bene et sono per fare molto meglio che non fu fatto in Nuremberga, da li quali cum li altri provedimenti si po expettar qualche bona resolutione.

Viennae XII Augusti MDXXIV.

165.
Card. Campegius Archiep. Capuano.

(Nuntiat. German. LIII. 11.)

(22. Augusti 1524.)

Alli XIII di questo giunsero le di V. S. di primo da me summamente desiderate, et con mia summa satisfactione lecte, itendendo che N. S. resta satisfatto de le actioni mie in conventu Ratisponensi, di che humillime ne baccio li suoi S^mi piedi.

Scrissi alli XXX del passato ed alli XII del presente onde non mi restava cosa importante da scriverli salvo la ricevuta di queste ultime soe et acciò che questa posta expedita da Salamancha non venghi vacua de mie lettere mi sono messo a scrivere questo poco. Dal R^do Verulano ebbi avviso che havea havuto le bolle del Jubileo et del ieiunio; penso che furon mandate per altra via, et poi che capitaron bene non accade dirne altro; come per l' altre mie le scrissi tutte le altre hanno havuto buon ricapito. Alli tre archiepiscopi del Reno furon date in mano propria, alli altri furon mandate per modo salvo.

Con queste ho ricevuto li Brevi che la mi scrive a quelli che erano nel convento in persona o per soi nuncii, et quelli ad Augusta et al Paytegner et al Fuchero, li quali per le ragioni che la mi scrive non mi è parso ancora di mandare, maxime essendo dopoi successo lì quello che la vederà per un aviso qui alligato, la qual cosa, benchè in se sia mala, pur potrebbe portare buono effetto, perchè questi senatori et lì et in le altre terre, conoscendo questa secta et peste non portare altro che inobedientia rebellioni et scandali, che per provedere a casi loro se accosterebbeno totalmente alli buoni per esser diffesi et mantenuti in la loro autorità, et benchè in deto aviso se contengha anchor quanto la vederà del convento di Spira, niente di meno io nol credo, perchè colui che scrive, anchor ch' io nol conosca, si comprende essere lutherano et d' altro luogho et facilmente potere non sapere tale conclusione. Di che parlandone hieri col serenissimo Principe che venne a visitarmi, trovai che non ne sapeva altro, et ordinossi che fusse scritto al reggimento di Eymsè et de Stutgardia che sono vicini, che stesseno advertiti de intendere et avisare il tutto et così credo che faranno, et di quello che si haverà ne darò subito aviso, pur non resto de replicare che la total resolutione de questa materia pende da Cesare, la qual spero debba essere bona, salvo se appresso di S. M^tà^ non è anche qualchuno corrotto da questa secta che le persuada che questa cosa non è da stimare et da lassarla transandare, di che ne ho qualche orma, benchè non molto fondata; pur illic instandum et urgendum est.

Li brevi per la differentia Polonica et Prutenica non erano con gli altri, nè sono capitati in man mia; dubito, non se facendo qualche provisione, che partorirà novum bellum. Le cose sotto quel gran maestro in re Lutherana vanno di male in peggio, et da ogni parte intendo il capo esser infecto, et non mancha chi dica che in tutto è de quelli per voler pigliar moglie et appriarle (sic) quel Stado per se et per suoi successori; non lo affermo perchè potrebbe esser cosa messa a campo da Poloni ; ma de lutherizare é pur troppo vero a quello ne sento ....

Quum multis omnino nominibus haec tempora nos affligant, Beatissime Pater, tum unum hoc potissimum me urit ac cruciat, quod hoc demum vere calamitoso saeculo, eas videamus exortas, aut verius renatas, haereses, quae non sine Christianarum animarum ingenti discrimine tam multos ubique inficiunt. Unius nimirum Martini Lutheri opera, qui vir pestilentissimus, pestilentissimis suis dogmatis, non ipsam modo Germaniam imbuit cuius meliorem partem iam proh dolor videmus in praeceps abire, sed et vicinas quoque nationes pessimo istoc fermento sic viciat corrumpitque, ut novos subinde suae factionis seditiosos perditosque rabulas procreet, qui ipsius exemplum secuti, ad ipsam christianam Religionem perturbandam non verentur accedere. Quod quidem, quum passim nunc non uno in loco videre sit, tum et in nostra quoque Metensi diocesi, haud ita pridem contigisse cognovimus; ubi ex hac factiosorum impiorumque hominum secta duo extiterunt, qui damnatissima sua doctrina, incautos imperitae multitudinis animos seducere conabantur. Id quod tum quum reipsa haudquaquam obscure facerent, essetque idipsum ad nostros officiarios perlatum, probe scientes illi, quam merito nos odio huiusmodi pessimorum hominum conspirationem prosequamur, simulque quid istinc abeuntibus nobis in mandatis tua dedisset Sanctitas, duos illos carceribus mancipandos curaverunt, alterum videlicet in Vico oppido, alterum vero in eaipsa Metensi civitate. Quos ubi diu iam asservatos diligenterque, ac omni servata christianae pietatis mansue udine sepius commonefactos, nihilosecius

tamen in impiissimarum suarum propositionum, pervicaci asseverantia induratos pertinacesque esse cognovissent, ne quid prorsus sedulitatis in ea re ab ipsis desyderaretur, non modo optimos ac doctissimos quosque eius loci consuluerunt, verum et ab ipsa quoque Parisiensi Sorbona doctores adsciverunt aliquot qui dum exacta maturaque examinatione, eaipsa impia ac modis omnibus haeretica esse comperissent quae ab illis erant ad populum declamata, atque pertinaciter etiam tum asserebantur, eorum alterum, qui apud praefatos Vicenses detinebatur, ultricibus tandem meritisque flammis tradiderunt. Quod sane posteaquam peractum esset, regressi in Metensem ipsam civitatem nostri officiarii, eo sunt tumultu, ea seditione, eo furore a concitato perturbatoque populo excepti, ut parum abfuerit, quin omnes ad unum indicta caussa crudelissime mactarentur. Tanta videlicet erat rabies, non ipsius modo plebeculae, sed et nonnullorum quoque ex ipsis totius civitatis primoribus quos seductores illi in perditissimam suam sectam suis iam praestigiis adduxerant. Atque in hunc modum vociferantes indignum facinus, quod probum scilicet hominem interemissent, eos ipsos officiarios nostros, cum magna sicariorum cohorte vestigarunt ut ingularent. Quos ubi diu multumque quaesitos non possent invenire, in aedes tandem cuiusdam ex precipuis nostris familiaribus, cui nostrae Goziensis abbatiae curam comissimus, non dubitarunt irrumpere, quas ea immanitate compilarunt, ut non contenti supellectilem totam quanta quanta erat diripuisse, fenestras quoque ipsas ac parietes, effrenata sua insania ita disruperunt, ut is locus plusquam decies mille florenorum iacturam fecisse dicatur. Neque vero id eos flagitii satiavit. Quin in ipsam urbem reversi, nostros adeo carceres veriti non sunt perfringere ut alterum illum haereticum liberarent, quem ereptum ad primum quoque lapidem deduxerunt, quo tutius manus nostras evaderet. Haec igitur quum ita sint Beatissime Pater nostrarum esse pretium rati sumus, eorum S. T. certiorem reddere, ut idoneum exorientibus huiusmodi malis remedium adhibeat. Id quod incunctanter nos certe faceremus, prout ipsa monet pietas, eiusque reverentia in cuius haud dubie contemptum ista perpetrantur si id modo in nostra manu satis esset. Verum quum ei rei conficiendae parum nos sufficere videremus, visum est ad neminem potius quam ad E. S. T. confugere, quae nobis in rem Christianae

Reipublicae factura videtur, si hic ita provideat, ut praedicti cives se liquido peccasse cognoscant. Neque enim hic sperandum est, ut eos indulgentia mitiget, quin potius etiam etiamque metuendum existimo, ne si his tantorum malorum initiis non primo quoque tempore occurratur, gliscentibus in dies hoc genus factionum turbis, non perinde postea facile obsisti possit quando in hunc istos modum cernimus, in deteriora quotidie prolabi. Interea quam foelicissime valeat T. S. cui me totum quam possum obsequentissime devoveo dedicoque.

Lugduni Mensis Martii XII.

E. S. T.

Humillima Creatura
Io Cardinalis de Lothoringia.

Eiusdem postscriptum.

198.

(Literae Princip. Vol. I. fogl. 47.)

(12. Martii 1525.)

Hodie, quum hasce literas tabellario postarum ad R. D. V. perferendas statueram, venerunt huc duo comites non parvae conditionis in toto Imperio, qui retulerunt mihi inter alia, quod Reverendissimus Dominus Legatus Campegius iam fere Bohemos ab erroribus suis avocaverat, et eo rem deduxerat, ut bene de eis sperabatur; verum timebant hanc Sanctissimi Domini Nostri in Gallum inclinationem posse eos fortassis ab institutis removere.

Praeterea modo per Germaniam more hebreorum circumcidendo Infantulos natos (proh dolor) baptisari asserunt; quorsum tum haec tendant, juditio R. D: V. cogitandum relinquo.

199.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 78.)

(3. Aprilis 1525.)

... De la adunatione de li villani in Germania il nuncio de Inspruck ne haverà dato pieno avviso; penso che mi faranno profetta e che cognosceranno che cosa è dare libertà al populazzo di sparlare in religionem, perchè dum impune loquuntur vogliono poi anche fare. Appresso Nuremberga hano occupate due città imperiale et captivati li senatori et magistrati loro et in Nuremberga hanno prohibito a tutti li monasterii catholici el predicare et che non confessino. Se Dio ci porta gratia che la Maestà Cesarea, reddita pace christianis voglia, come è suo debito, attender alla extirpatione de la heresie et assettare questi tumulti, sarà necessario, come altre volte scrissi, mettere in bando alcuna di queste terre più ribelle, et la prima a mio iudicio dovrebbe essere Nuremberga, et specialmente privarla di li commertii et restituirli a Ratispona, qual perchè fu obediente a tempo che Boemi recesserunt ab unione Ecclesiae perse il trafico et fu transferito a Nurenberga quae non timuit censuras et interdictum et de lì hebbeno principio alla grandezza soa et però sarebbe conveniente che in quo peccarunt maxime etiam punirentur.

Budae XIII Aprilis MDXXV.

200.

Clemens VII. Erhardo Cardin. Leodiensi.

(Epist. ad Principes per Sadolet. scr. fol. 126.)

(21. Aprilis 1525.)

Ex regione Hollandiae et circum adiacentibus locis in quibus dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Margaritae Archiducissae Austriae et comitissae Burgundiae potestas et auctoritas summa est, quotidie ad nos deferuntur querelae adversus complures qui eius quae nunc debacchatur hereseos perfidia inquinati, vetusta Ecclesiae sacramenta et fidem synceri

cultus Christi non modo transgredi sed palam etiam reprehendere et oppugnare audent, quorum impietas etiam aliis potest esse nocumento. Quod nos aegreferentes, cum memores simus quid cir[ni] tuae super his dederimus facultatis ac de tua virtute et prudentia et erga summum Deum religione optime sentiamus, voluimus te denuo per has litteras hortari ut studium ac diligentiam exhibere velles quo haec tanta labes rectae religionis in eis locis extinguatur in quibus cum talis faemina omni virtute et pietate prestans gratam habeat potestatem, non possumus dubitare illius instante auctoritate, tua interveniente cura et sollicitudine, quin omnia sint futura ad Dei et antiquae fidei honorem ac observantiam facilia atque prona. Non enim in nobis inesse potest ulla dubitatio illam tantis a Deo donis et dotibus ornatam mulierem quae suis virtutibus omnium suorum maiorum virtutes representat posthabituram tutelam et defensionem Christianae religionis eius quae a Spiritu Sancto per manus sanctorum patrum a tot iam saeculis recepta et probata est. Quare te hac spe fidentem et ope Dei ac nostra auctoritate tuaque virtute armatum dare omnimodam operam volumus ut eorum qui ministerium hoc pravum et perniciosum corrumpendi puriores animas Sathanae prebent scelus atque perfidia, aut per penitentiam delicti ad sanitatem convertatur, aut dignis suppliciis cohibeatur; in quo circumspectionis tuae studium et curam et Deo et nobis volumus inservire. Datum Romae die XXI Aprilis MDXXV. Anno secundo.

201.

Clemens VII. Margarethae arch. Austriae.

(Clem. epist. ad Principes per Sadolet. scr. fol. 127.)

(21. Aprilis 1525.)

Ex regione Hollandiae et circum adiacentibus locis in quibus tuae Nobilitatis potestas et auctoritas summa est, quotidie ad nos deferuntur querelae adversus complures, qui eius quae nunc debacchatur hereseos perfidia inquinat, vetusta Ecclesiae sacramenta et fidem synceri cultus Christi non modo transgredi, sed palam etiam reprehendere et oppugnare audeat,

quorum impietas etiam aliis potest esse nocumento. Cumque nos de nobilitatis tuae religione et prudentia ita sentiamus ut de catholica et in primis excellente muliere sentiendum est, quam ipsi scimus quo ingenio et quanta polleat virtute, tecum communicare eam curam voluimus, quae nos pro nostro pastorali officio vehementer premit. Habemus enim ante oculos nostros propositum quid a nobis postulet et requirat ipse Deus cui soli regnum animarum subiectum est, quibus nulla est preciosior nec maioris aestimanda possessio, huius regni tutandi ac defendendi laborem nobis huius quem gerimus honoris pondus infert, quo vices Christi gerentes, de salute animarum solliciti esse debemus. Nec desumus officio qua nostrae pertinent facultates; nam et consilio et hortatione et cura et monitis errantibus subvenimus; si qui vero sunt pertinaciores, aut si quorum furor salutarem medicinam pastoris sui non recipit, nobis est ad principatus et potestates confugiendum et eorum providentia ad auxilium invocanda, ut eorum auctoritate et metu qui alias negligunt ad sanitatem reducantur. Hoc nos consilio requirimus Nobilitatem tuam paterne atque amanter, ut adesse nobis ad iuvandam rem Dei et fidem Christi immaculatam conservandam ferre opem velit, in eis locis praesertim in quibus tu et iubendi et vetandi obtines potestatem. Ac novimus quidem haec mala ipsa tibi displicere; sed in tanta virtute et tanta potestate tua, non solum egreferenda sunt quae adversus veterem morem Sanctae Ecclesiae tentantur et proferuntur, verum etiam iusta severitate vindicanda. Iccirco enim Nobilitas tua praefecta a Deo est illis populis, ut in obedientia eos retineat et Dei et maiorum. Neque vero tu post illum diem qui extremus paratus est omnibus quicquam ferre poteris ex tantis opibus quibus praedita nunc es ante tribunal summi Dei, quod magis tibi patrocinio et adiumento esse possit ad immortalem beatam vitam consequendam, quam curam et diligentiam adhibitam inter tuos ut animarum salus, quarum maxime Deo cura est, inviolata custodiretur. Hoc est proprium virtutis tuae, hoc pietatis et religionis quam semper erga Deum integram praestitisti, ut et vetus tuae laudis opinio apud omnes homines confirmetur et spes beatae immortalitatis tibi apud Deum sit exploratior. Nos hac eadem de re ad dilectum filium nostrum Erhardum tituli Sancti Grisogoni presbyterum Cardinalem Leodiensem scribimus, iniungentes ut diligentiam

et sollicitudinem circa ista adhibeat, cui tua Nobilitas omni ope et auxilio ut velit suffragari illam in domino hortamur.

Romae apud S. Petrum die XXI Aprilis MDXXV anno secundo.

202.
Clemens VII. Carolo duci Gelriae.

(Clem. Epist. ad Principes per Sadolet. fol. 129.)

(23. Aprilis 1525.)

Tuae virtutis et erga summum Deum religionis praeclarum testimonium litterae nobis tuae praebuerunt; in quibus cum de hac tanta calamitate Germaniae, quae artibus perpetuis hostis Dei per eius impios ministros lutherana haeresi infectos procurata est, conquereris, ostendisque dolorem tibi afficere hoc dedecus nominis Christi et christianae religionis maculam atque iniuriam, tum ut vere magnum et pium principem decet animum praesefers hanc tantam impietatem et scelus nefarium vindicandi in quo etiam a nobis postulas ut tibi procedendi adversus ecclesiasticas personas, quas multas labe hac inquinatas esse sentis, facultatem et potestatem concedere velimus. Quam nos mentem et quod prestantissimi principis studium dignum ista nobilitate et ista virtute quae nobis semper in te egregia et magna perspecta fuit, vehementer in Domino commendamus omnique nostra benevolentia et charitate complectimur, dominumque Deum supplices exoramus ut tali et tam catholico principi suaeque divinae maiestatis honori ita dedito secunda omnia et prospera concedere dignetur. Quod vero ad negotium ipsum attinet, credimus nobilitati tuae esse notum quo nos studio, qua sollicitudine et cura non litteris solum et scribendo, sed legatis nunciis commissariisque nostris mittendis excitare animum omnium principum Germaniae conati fuerimus ut cum ruina et detrimento christianae verae fidei cladem quoque sui et ruinam coniunctam ne affirmaretur, sed obviarent pravis principiis quorum fines et exitus ut ipsorum primum perniciem essent irrupturi; in qua admonitione et cohortatione a nostri pontificatus initio usque ad hunc diem assidui fuimus, dolentes et gementes eum

exitium animarum quarum precipue nobis cura demandata est, tum istius nobilis tuae et nobis charissimae Germanicae nationis damnum et ignominiam: quas nostras hortationes utinam plures et maiore studio suscepissent; esset nunc illi populo a Deo facta salus; tamen nunquam desistemus hoc idem agere pro occasione temporum. Nunc quidem quod ad tuas postulationes et pia ac sancta desideria attinet, laudantes summe propositum et prudentiam Nobilitatis tuae, quum eiusmodi facultatem tribuere oportet iuxta ordines et regulas sanctorum patrum, quia postea tuae auctoritatis gladio armati mandatam et commissionem tuam exequantur, comittimus tenore praesentium et facultatem amplam damus dilecto filio nostro Erhardo Cardinali Leodiensi ut ipse, qui et homines et res habet cognitas, tales personas nominare quae et virtute et religione et doctrina aptae sint ad inquirendum contra lutheranos et eos, si qui fuerint, vel cogendum ut resipiscant, vel si pertinaces in suo scelere et impietate permanserint, tanquam haereticos puniendos; quae etiam personae nominandae tibi gratae et acceptae esse dignoscantur. Nos enim talibus qui per dictum cardinalem nominati et a te acceptati fuerint omnem tenore presentium damus apostolica auctoritate facultatem simul et potestatem contra dictas ecclesiasticas personas quae compertas in ista nefaria heresi fuerint, procedendi etiam dimissa formula iudiciaria summarie ac de plano, sola veritate inspecta, et si convictae fuerint illas publice retractare cogendi, pertinaces et obstinatos etiam extremis suppliciis puniendi iuxsta ordinem et morem a Sanctis Patribus et romanis Pontificibus contra haereticos statutum non obstantibus quibuscumque. Tu ergo, dilecte fili, in hac pia et catholica mente erga omnipotentem Deum perseverans confidere debebis te praemia ab eo digna, a nobis quidem omnem gratiam, a cunctis hominibus laudem reportaturum. Dat. Romae die XXIII Aprilis MDXXV anno secundo.

203.

Baro de Burgio Sadoleto.

(Nuntiat. German. LV. 60.)

(26. Aprilis 1525.)

. . . Dil negotio Prutenico haverà V. S. R^ma^ inteso quello che ne sentiva per lettere di lo Ambaxator del Re; al presente per lettere del medesimo ambaxatore et altri si entende lo Maestro haver fermato pace perpetua cum quella corona et haver donato sacramento homagio al Re et preso lo stindardo da la Sua Maestà. Et sua Maestà li have donato la Prusia in ducato per se et heredi suoi et ho visto lettere del Maestro ove se intitula duca di Prusia, et publicamente è fama che il re li dona la figluola per isposa, la quale è sorella consobrina del Maestro. Particularitati et conditioni de la pace non posso fin qui sapere perchè non le scrivino, ben credo essere tali che sino vergognano di publicarle; lo ambaxatore si remette a dirle quando sarà qui, che serrà per tutta questa settimana; ben so questo che questa cussì fatta pace have donato et donerà grande animo a tutti li Lutherani et Picardi di Bohemia, quando vedano uno re vechio et cussì bon christianno haver consentito che una relligione se arruini del tutto et che non solamente permette che lo Maestro pigli moglie havendo fatto li tri voti che solino li maestri fare, ma li dona anchora la figlia per moglie, et tanto più li vescovi che sono in Prusia cum li altri preti et prelati pigliranno moglie et farrano di li beni de la Ecclesia suoi feudi como questi lutherani si iactano. Penso che nixuna cosa tanto haverà mosso il re quanto la victoria di Caesare in Italia et il credersi la Sede Apostolica che saria arruinata, et però mi è parso bene scrivere a S. M^tà^ di la nova confederatione. Forse che li farrà tirare lo piede a retro, si non del tutto almeno di una parte. Se Sua S^tà^ si vorrà di questo resentire, . . . nixuno altro remedio serrà più oportuno secondo a me pare come usare lo remedio di Cesare, il quale mostri arduamente dolersi del re . . .

Budae XXVI Aprilis MDXXV.

204.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 80.)

(26. Aprilis 1525.)

... Circa le cose pruthenice con le littere de XXX mandai copia de la littera che di là scriveva Statilio oratore in Polonia di questa, per quella materia; et benchè non potessi persuadermi di quel re che havesse a consentire a così enormi condicioni, pur la conclusione et pace universale è seguita fra loro et così scrive detto Statilio et la quinta feria Maioris ebdomadae il re li dette il stendardo et lo infeudò de la Prussia et lo ha fatto di gran maestro, dimissa religione, duca di Prussia et così lui si scrive et nomina. Et benchè el detto non scriva particolarmente le condicioni, ma le riservi al suo ritorno che sarà presto, pur se intende che già lo ha infeudato pro se et descendentibus et altra pro Joachino electore et alio fratre qui est in Hispania quale ha per moglie la del quondam re catholico, et questo successivamente con non poco suspetto che 'l detto re sia per darli la figliola sua primogenita de l' altra mogliera ut malum malo addatur, sì perchè sono coniuncti in secundo gradu, sì perchè detto gran maestro è addicto ad tria vota; anchor che io creda ch' egli per essere immerso in questa maledetta setta lutherana non si curerà nè de l' uno nè di l' altro et stimo che di tutto si pensino facilmente ottenere approbatione et dispensatione da N. S. colorando tutto questo trattato col nome de la pace et di potere più facilmente opporsi contra turchi o come meglio sapranno, pur che gli sia creduto. Io dirò il vero a V. S. ho tanto despiacere di questa cosa che niuno altro particolar mio che mi accascasse in contrario, fosse anche la morte de un mio figliolo, più mi potrebbe dolere et essere molesto, parendomi che sia cosa di tanto mala sorte che più non possa essere, et massimamente a questi tempi ne li quali si sente che tutti li altri commendatori in Prussia pensano anchor eglino di torre moglie appropriandosi li beni de le commende, et così a bove maiori discit arare minor. In Livonia anchor presento che pessime sentiunt de fide et tutta la quadragesima publicamente hanno mangiato carne, credo anchor lo Episcopo

Sambiense, si tale nomen meretur, farà il simile perchè ha scacciato li suoi canonici, levate le imagini et dirupati li altari in ecclesia.

Con queste haverà V. S. una copia di una del quondam detto Gran Maestro ch' egli scrivea ad un servitore di questa regina, per la quale vederà la conclusione fatta con quel re; et più la copia di una littera del Statilio al R^mo^ Strigoniense che mi ha mandato S. S. con la copia del giuramento che detto gran Maestro ha prestato al re, et di essa intenderà la praticha et manegio che ha col turcho.

El Barone manda copie di le littere che gli scrive il palatino di Cracovia sopra questo trattato, lo quale vogliono infrascare et colorire come ho detto; perhò non ne dico altro. . . .

Quel postulato del qual fa mentione V. S. in Prussia fu qui col gran Maestro, et intendo non essere miglior del Sambiense, et però summamente mi piace et laudo che sieno munite, et si siegua la iusticia contro di loro, che forse ancho in tempo se ne potrà havere la executione. Non posso pensare come Cesare et tutta la natione Germanica potranno comportare questo fatto del Re di Polonia et del gran Maestro; forse non sarebbe mal che Sua Santità ne scrivesse a Sua Maestà Cesarea per il bisogno, perchè oltra il male in se che ha questa cosa, a questi tempi, che per tutta Germania pricipalmente si anhela alii beni ecclesiastici, è di tanto malo exempio che più non potrebbe essere a mio iudicio. Et benchè io pensi chel Rorario de Inspruck, et altronde altri, informi et avvisi a pieno Sua Santità de la conspiratione et colluvione de quelli Villani et de le cose di Germania, pur mando extratti di alcune lettre scritte in quella materia.

A Colonia scrissi una buona lettra et credo, che mandaranno di nuovo a sollicitare perchè nuovamente gli significo la buona mente di Nostro Signore et quello, che sopra ciò la mi scrive. Del castigar Nuremberga come scrive il Rorario sono molti mesi che questa cosa fu pensata et lo regimento di Ratispona, sin chio mi trovavo là, ne feceron appresso di me instantia, et io gli diedi bone parole; non è cosa che con Boemi si possa cominciare et concludere, ma bisognarebbe procedere contra quella città et qualche altra che è infecta

et inobediente, come fu proceduto contra Boemi et nel privarli de li commercii interdire ancho alle altre che sub pena excomunicationis etc. non havesse alcuno commercio con esse altramente che loro beni et mercantie si dessono in preda, et fatto questo si potrebbe dimandare a Boemi come ad obedienti, che non andassono più la ma ritornassino a Ratispona, similmente operando con tutti questi Potentati et Regni con lettre, che evitarent illas Civitates etc., et così come da se si destituiriano et seguiria lo effetto. Pur la città di Ratispona merita ogni aiuto et favore perchè per la obedientia soa alli interdetti perse il trafico et è già come abandonata, et è amplissima città et molto bene edificata ad ripam Danubii . . . .

Budae XXVI Aprilis MDXXV

Uti Frater Deditissimus
L. Car. Campegius.

205.
Clemens VII. Carolo V.

(Sadoleti Epist. ad Principes fol. 143.)

(7. Maii 1525.)

Car^me^ in Christo fili noster etc. Cum a primis temporibus Pontificatus nostri, intelligentes in quam curam et laborem et in quae tempora christianae reipublicae nos ad tantae onus sollicitudinis Deus Omnipotens vocavisset, institissemus procurare et suadere pacem, sine qua Christianitatem tot et externis et domesticis malis damnis incommodisque attritam, proximam esse exitio videbamus: recordamur nos ex officii potius nostri debito, quam quod spe ulla teneremur, ad eam actionem tunc adductos fuisse. Etsi enim Deum sciebamus omnipotentem mutare saepe repente consilia hominum in melius, et quae difficillima videbantur, ea cum omni facilitate conficere: tamen in tantis armorum contentionibus, et diversis principum christianorum sententiis, non cernebatur paci locus, quam cum suadebamus et ad eam hortabamur, proponebamusque ea quae nobis videbantur ad pacem propiora esse, studio magis et desiderio conscientiae nostrae satisfaciebamus, quam spe pro-

ficiendi aliqua sustentabamur. At vero nunc, postquam eiusdem Dei omnia gubernantis iudicio, quod tunc commune tibi cum aliis Principibus fuit, id totum videtur esse ad tuae Ser[tis] arbitrium potestatemque delatum, ut penes te unum ius belli pacisque sit; eadem quidem sumus cupiditate et sententia, ut conficiatur pax, sed spe et fide ducimur multo maiore. Satis enim aspirare coeptis optatisque nostris Deum cernimus, cum quod ab eo supplices precabamur, eius nobis concedendi, ad optimum et christianissimum Principem dignissimumque Caesarem videmus delatam esse potestatem. Nos vero qui tanto studio curabamus pacem, tunc cum pacis pene omnis ratio desperata erat; nunc in tanta spe nostra, tanta expectatione iustissimae et clementissime tuae mentis ac voluntatis, si ab illa pacis actione desisteremus, faceremus iniuriam profecto et ipsi Deo et honori nostro: neque tunc pacem voluisse, sed aliud quiddam spectasse videremur. Sed si quippiam habemus, vel habuimus unquam desideriis nostris magis propositum quam pacem, digni sumus quos non exaudiat Deus; si vero nostra consilia ipsius Dei honorem, communem christianitatis salutem et bonum optatae pacis spectaverunt, eumdem Deum oramus, ut Ser[tem] tuam in cuius manu pacem esse voluit, pacis iubeat esse effectricem, hoc est ut quod sanctissimam mentem tuam desiderare cernimus (nihil enim clarius est quam te velle pacem et appetere) eius conficiendi et transigendi, remotis impedimentis omnibus, tibi a summo Deo tribuatur facilitas. Sed cur pax maxime necessaria sit, aliqua dicenda sunt, non tam illa quidem nova genere, quam gravia diuturnitate, quibus nisi citum remedium adhibeatur, ut in effoeto mortali corpore longior morbus exitium et mortem affert, sic in christianitate iam defatigata et attrita proximus est interitus expectandus; urgent, enim et opprimunt duo gravissima mala atque incommoda christianitatem, quorum alterum est a Turcis qui, continuis successibus elati, et nostra ignavia ac negligentia in spem maximam erecti, christianae reipublicae penitus opprimendae ineunt rationem. An tu trecentarum navium paratam iam classem, et terrestres exercitus in armis adesse iussos, alio consilio aliaque mente coactos esse putas, nisi ut septentrionales christianorum provinciae ab ipso littore Illyrici usque ad Poloniam impiis illis armis et signis obruantur? An nos haec soli intelligimus, tuaque serenitas harum rerum ignara est?

Deferuntur quidem ad nos primum ex omni parte querelae, nec quicquam iam crebrius aures nostrae percipiunt quam oppidorum christianorum direptiones, hominum praedas, excidia agrorum: cum quotidie fere miserorum sanguinem effundi, viros et virgines in teterrimam servitutem abstrahi; urbes et oppida capi audiamus. Sed in his malis illud longe gravissimum malum est, quod qui periculo proximi sunt, quorum est periculum cum nostro coniunctum: ii tanquam laetali somno oppressi, nullam videntur ducere sui propinqui exitii rationem. Atque hoc malum externum est; quid illud intestinum ac domesticum, quo nullum maius neque perniciosius ulla unquam aspexit aetas? quod tua Germania tantis iam cladibus et seditionibus involuta est, ut nemo in ea iam sit qui habeat exploratam rationem non solum dignitatis, sed etiam salutis suae; increbuit enim in animis imperitarum plebium furor immissus illis a Dei hoste et eius hostis ministris impiarum heresum auctoribus; per quem coniurationibus nefariis popularium omnis nobilitas et omnis ordo ecclesiasticus in exitium vocatur; qui furor quorsum irrupturus sit graviter pertimescendum est, non enim cernimus finem nec ,modum. Sed per Deum immortalem, si tantis calamitatibus afflictae et perditae christianae reipublicae celeri pacis remedio non subveniatur, quid tandem spei aut salutis reliquum nobis esse potest? quis vero alius pacis et auxilii praeter te idoneus futurus est auctor qui eiusdem Dei Omnipotentis beneficio, tantis e coelo muneribus es illustratus, ut facile appareat, quaesivisse sibi Deum secundum cor suum Regem unum tanquam alterum Davidem qui Dei hostes conterat; populis fidelibus parcat: Cuius tu Dei et propter virtutem ac religionem amplissima beneficia meruisti, et eius beneficentiae propter pietatem gratus esse vis, ad pacisque consilia aspiras, ac pro tua singulari sapientia optime cernis remedia et auxilia tot perniciosis christianitatis cladibus quamprimum esse necessaria. Sed ut voluntati tuae locus sit, ut quod religiosissime et christianissime designasti, opere et facto compleas; idcirco haec est a nobis tecum suscepta adhortatio; confidimus maxime bonitati tuae: deferimus virtuti, prudentiam quoque et magnitudinem animi cognoscimus. Sed si honori et gloriae tuae satisfactum a Deo est, si quae pristini belli et controversiae causa fuit, ea est et tua insigni victoria, et ipsorum confes-

sione hostium terminata: si nihil est maius aut amplius, quod moderatis et prudentibus animis posci ab immortali Deo possit, quam quantum tibi coelesti illius beneficio est tributum, oramus precamurque Ser^tem tuam ut in conditionibus pacis tractandis des te ad eam partem, ut magis propter desiderium pacis, faciles et benignas conditiones tulisse, quam propter difficultatem conditionum paci locum non reliquisse videare. Hoc petimus, hoc hortamur, neque dubii sumus, te ad omnia liberalia et humana promptum esse. Sed ut tua praeclara mens in sua bonitate et sententia permaneat deprecamur. Nemo unquam princeps fuit, qui maiora senserit erga se Dei Omnipotentis promerita quam experta est Ser^tas tua; sed nemo etiam extitit unquam qui illustriorem occasionem habuerit referendae illi gratiae. Scimus nos et testamur, et vades et sponsores inter te et Deum esse volumus, si tua auctoritate et clementia his luctuosis temporibus constituetur pax, nullum unquam Principem et Regem nullum, aut maius obsequium Deo praestitisse, aut ullo tempore esse praestaturum. Carpimur paulatim: concludimur: in angustias redigimur: atque ex orbe terrarum universo, qui fere totus aliquando Regi Regum Christo Jesu Salvatori nostro paruit, in tres vel quatuor christianitatis provincias repulsi et coarctati sumus, quae solae restant integrae: aliae aut penitus Deo rebellarunt, aut impiis sectis et heresibus ad rebellandum sunt propinquae, aut in tanto periculo constitutae sunt, ut quasi pro desperatis et perditis habeantur. Quaenam quaesumus tanta nos agit precipites Dei ira, ut pestem et interitum nostrum ipsimet appro peremus? convertamur ad ipsum Dominum: et cum illi iras et iniurias nostras condonaverimus, speremus ab eo consequi misericordiam, quae certe non deerit, si pie et humiliter fuerit petita. Et haec tamen omnia in manu tua potissimum fili carissime sunt. Qui si te ut confidimus, ad constans pacis consilium converteris, erunt tuo ductu et imperio non salvae solum christianitatis res, verum etiam florentes; non minor est gloria parcere hostibus devictis, quam eos vincere: pietas autem et virtus et sapientia multo maior pro celesti imperio ferre signa in Dei hostes, quam pro terrenis rebus depugnare. Nos certe ardentes benivolentia erga te, et studio laudis tuae, ea consulimus tibi, quae arbitramur utilitati, dignitati, amplitudini tuae accommodata. Quid Dominus Deus appetat, perspicuum est,

nullum quidem illi est pace gratius et placabilius sacrificium. Tua mens iam plurima et clarissima signa dedit virtutis et religionis in summum Deum maximae, nemo est qui non ita existimet et personae et dignitatis tuae ipsum esse patronum et protectorem Deum; quantum illi debeas, cogitare tuum est, nostrum admonere quid nobis videatur tantae conservandae Dei gratiae esse expediens. Illud quidem extremum, quod nostri erga te amoris est, adiungimus, cupere nos quicquid egeris et consulueris, id Deum ipsum immortalem et omnipotentem bene et feliciter tuae Serenitati evenire iubere, quemadmodum de his, et si qua reliqua sunt, mandavimus dilecto filio Baldassari Castilioneo Notario et Nuncio nostro ut cum Serenitate tua ageret, cui illa fidem summam praebebit.

Datum Romae etc. Die VII Maii MDXXV. Anno Secundo.

206.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 84.)

(8. Maii 1525.)

... Con quelle del XXX et con le ultime V. S. haverà inteso quanto per alhora si havea de la pace tra 'l regno di Polonia et il quondam Maestro di Prussia, sopra la qual materia manda hora il Barone copia de una lettera che gli ha scritto lo episcopo Primisliense, ne la quale ad longum discorre il progresso di questo trattamento et excusa la conclusione fatta et con questa mia l' haverà anchora copia di quanto ultimamente a Strigoniense scrisse Statilio per le soe date el Sabato Sancto, benchè ne la copia non sia sottoscrittione nè data; ma essendo a lungo di poi stato con esso Strigoniense, ragionando di molte cose gli dissi anche assai di questa pace et conclusione fatta, la quale ancho a lui non piace per quello che dimostra et perchè, quando se intese per lettere di Statilio il manegio di tal cosa, si operò che egli gli scrivesse in buona forma; mostrommi in questo ragionamento la risposta di Statilio de la quale ho fatto mentione di sopra et ne mando copia, et excusossi che non mi havea mandate dette lettere perchè haveano

alcune loro cose più strecte; et dubitando io che questo non fusse alcuna praticha di pace o tregua che havessero col turcho gli ricordai il iuramento che havea con la Sede Apostolica et N. S. et che li tractati con el turcho toccavano lo interesse de la Chiesa et di Sua Santità et però cho nollet in ipsis aliquid mihi celare, che per suoi particolari non mi curavo alcuna cosa, et in questo ragionamento mi lesse vari capituli di le lettere di Statilio. . . .

De la nuova capitulatione facta con la M^tà^ Ces. da N. S. detto Strigoniense ha havuta molta satisfactione. . . .

Dopo che da Strigoniense ho inteso et discorso quanto ho detto, gionse Statilio de Polonia, col quale son stato a lungo et meravigliandomi non havere da quella Maestà lettere per risposta delle mie che egli portò, mi dice che l' orator suo le portava et che da S. M^tà^ haveva commissione communicarmi il tutto, et da lui ho inteso il medesimo che ho detto di sopra et che si contiene ne le prefate copie, anzi non così a pieno da lui; di più mi dice che il Re di Polonia ha mandato un Nuncio a Roma; stimo che havendo inteso per le lettere del Barone alla reina che molti non approvano questa conchiusione che haverà mandato iustificarla con N. S. et forse per haverne la confirmatione, non so s' io debba dire la dispensatione del matrimonio, qual mi dice il prefato che in Cracovia tra il vulgo se diceva pubblicamente benchè in consilio nè dal re non havessi inteso cosa alcuna, anzi che parlando con Sua Maestà la dimandò se era vero et non gli rispose altro se non che subrisit. . . .

In questa pace è stato concluso che tutte le terre et beni, occupati hinc inde al tempo di questo gran Maestro, restituantur et che 'l di de la Trinità è ordinato ad istam restitutionem fiendam et che alla Chiesa Varmiense se restituiscano tre forte terre alias dolo occupate dal detto gran Maestro et me dice che Gautzmu olim Gedanum con altre sette città communi consilio et concordia in Prussia hanno cacciato tutti li preti et frati et tolti tutti li argenti de le chiese, constituito un solo ribaldo prete per tutti qui predicet et ministret sacramenti; sono tutte sottoposte al re di Polonia et dice Statilio che S. M^tà^ ha detto armis velle eos compellere ad pristinam religionem, ma perchè sono potenti che gli serà alcuna difficoltà et che se 'l Gran Maestro inanzi questa concordia havesse intesa

questa defectione che forse non sarebbe seguita perchè si sarebbeno uniti per timore del re. Forse non sarebbe male che in questo se scrivesse a S. M^tà^ un bon breve et sogiugne detto Statilio che se Cesare et nostro Signore et la nation germanica volessono castigare questi ribaldi religiosi et quondam Gran Maestro che S. M^tà^ ne sarebbe molto ben contenta et che Poloni et rex ipse multum detestantur eorum vitam et defectionem a vera fide. . . .

Budae VIII Maii MDXXV.

Tutto el contrario ha fatto la regina con li soi Todeschi, con dir, se N. S. è contra Cesare che vogliono farsi lutherani; de quibus non est curandum, perchè oltra che Ungaria è natural nemica de Alamagna, nè uno vuole quel che l' altro vuole, sono anche talmente inclinati a N. S. et alla fede che non è da dubitare. Dubito ben che per disdegno non faccino ogni cosa per turbar la pratica de Boemia, perchè potendo lei quel che la vuole col Re et temendola questi consiglieri per la loro corruptela, sono forzati seguirla dove se obstina; pure spero non potrà tanto che toglia tanto bene, a che et io et el Barone non mancaremo provedendo a tutte le offese. Questo mio dubio accresce la presentia de tre fratelli de Brandeburg che si trovano qua et per lo ambasciatore cesareo, quali tutti sono lutherani o almeno molto sospetti et maximamente el Marchese Georgio che ha preso per moglie una del Duca Carlo di Boemia senza dispensa et sono in terzo grado.

207.

Rorarius Sadoleto.

(Varior. ad Clem. II. 43.)

(13. Maii 1525.)

Ali 9 scrisse al Rev. Capuano pregando Sua S^a^ R^ma^ ne volesse far partecipe V. S. R. de le nove, per non poterli in quella hora scriverli. Al presente supplirò in parte al debito mio et li mando una copia inclusa de una lettera de Norimbergo. Tutta la Alemagna va sotto sopra, nè c' è più speranza alchuna se non nella misericordia de Dio et già ha co-

menzato anchor questo Paese. El primo giorno partite de quì Monsignor de Trento li fu piliati li muli da vilani et poi restituiti, et a lui li fu dicto che l' andava con tanti cavali et tanta superbia et che San Pietro havea de gratia cavalcare un asino; poi per la strada li fu facti diversi insulti. Li vilani de Brixina essendo menato uno ala iustitia ge lo levorno per forza, da poi sono entrati ne la terra et hano sachegiate tutte le cose de' canonici et preti, dopoi data la batalia al castello et amazati dui de quelli del Castello et anchora lo tengono obsediato. Hano mandato a dimandare el vescovo, el qual questa nocte con cinque cavali li è andato per veder se li pole acquietar; sicchè semo al presente da per tutto attorniati et dubito un giorno de un grandissimo scandalo, et maxime per haver el paese facto intendere al Principe chel debia cazar da se Salamancha, et lui va tergiversando fin chel tira una ruina adosso de se et de li altri et io la vedo de tal sorte; cussì Dio facia che io mentisca; che sel non fusse che ho deliberato servir N. S. fin a la morte, già me saria ritirato a Trento et li staria ad expectar chel desse el schioppo.

È necessario che avanti quatro giorni el principe dia resoluta resposta a quelli son per li vilani del paese quì in Dieta sopra Salamanca. La lor proposta è stata chel debia cazar dal suo conselio tutti li ecclesiastici et Salamanca, la qual cosa facendo li sarano boni subditi et sempre apparechiati in ogni sua necessità exponer la roba et la roba[1]) et nol facendo ponerà el stato suo in dubio.

In Hinspruch die XIII Maii MDXXV.

---

[1]) Sic in originali documento; fortasse legendum: „la roba et la vita".

208.

Margherita Archiducissa Austriae Clementi VII.

(Sub Clemente VII. Lettere di diversi Principi et altri. 1525. fogl. 117.)

(18. Maii 1525.)

Beatissime ac Sanctissime Pater post humillimam et devotam usque ad vestrorum sacrorum pedum oscula commendationem.

Beatissime Pater literas Sanctitatis Vestre in forma brevis sub XXI nuper lapsi Aprilis ad me delatas reverenter recepi, illarumque perspecto tenore non possum non nisi vehementer admirari, quod eadem Sanctitas Vestra me adhortetur ut sectam lucterianam in comitatu Hollandie, valde valde, ut asserit, pullulantem, aliisque in provinciis gubernio meo creditis, extirpare procurem, in hocque faveam Reverendissimo in Christo Patri Domino Cardinali Leodiensi, cui eadem sanctitas Vestra de eo uberius scripsit; cum neminem cognoscam Principem, qui super extinctione dicte secte ferventius me re et effectu elaboraverit. Et ut id commodius fieret iusticia mediante, commissarios tres spirituales omni exceptioni maiores a Reverendissimo Domino Cardinali de Campegio, legato de latere Sanctitatis Vestrae in Germania, impetravi loco Magistri Francisci de Hulst layci quem pro seditione evitanda ab exercitio diete, eorum commissioni vacare non cessarunt, item quod equo sponte currenti calcaria necessaria non sint, sed forsitan et Sanctitas Vestra longe a veritate potuit informari, nec Hollandiam magis ceteris provinciis eo crimine infectam latrare expedit, ubi proh dolor nullam immunem sentiam; verum tanta ex Germania excitatur confusio ut nisi Deus ipse maximus provideat totam fidem nostram christianam conculcatam et huiusmodi prostratam, nedum video primo illos veneficos Lucteristas grandia agmina invicem facientes patrias omnes invadere, nobiles occidere, et armis ac potentia voto eorum subicere, templaque conventus et castra rapere spoliare et solo equare. Adeo quod necessario expedit S. V. vices Christi in terris gerentem Principes omnes christianos in unum convocare et de remedio oportuno consulere et providere. Ego enim Cesaream Maiestatem pro debito meo de hiis certiorem feci, necnon quemadmodum S. V. superioribus diebus per literas suas in forma brevis Reverendissimum

Dominum Cardinalem Leodiensem prefatum hiis in provinciis gubernationi mee creditis, superintendentem et precipuum huius secte correctorem prefecerat, sumque expectans ut par est iussionibus Sue Maiestatis ut paream, nec interim obmictam quae ad extirpationem illius maledicte et rabide secte actinent fideliter adimplere, ut lacius E. S. V. ab illustri Duce de Sesa apud Beatitudinem Vestram Cesareo oratore intelliget, cui nomine meo fidem indubiam prestabit. Rogans Deum Omnipotentem, ut eandem Sanctitatem Vestram in terris longevam faciat et felicem.

Ex Mechlinia XV[a] Mai anno MDXXV.

E. S. V.

Humillima et devota filia Archiducissa Austriae, Ducissa et Comitissa Burgundiae Vidua Sabaudie etc.

Marguerite.

209.

Episcopus Tridentinus Clementi VII.

(Sub Clemente VII. Lettere di diversi Principi et altri. 1525. fogl. 124.)

(18. Maii 1525.)

Beatissime Pater Domine Colendissime post pedum Beatorum oscula humillimam commendationem etc.

Ex Tridento admonui vestram Beatitudinem de seditionibus rusticorum dudum per Germaniam subortis, quod usque ad Brixinam, deinde ad patriam hanc Atthesis penetrassent; scribebam etiam quas caedes, quas bonorum direptiones tum ad Ecclesias tum ad Nobiles spectantes, illa turma tumultuans, et intulisset pluribus, et in plerosque commisisset, et cum pollicitus sim singula posthac ventura perscribere, velim interea illam non latere, quecunque scripsi praeter hominum caedes, ita contigisse, quum singulis Monasteriis, et reliquis ecclesiis parrochialibus bona rapuerint et asportaverint, Nobilium arces invaserint, et depredati sint; neque se temperant a progressu, haec modo uni, modo alteri accidere nuntiantur; nec est quod primi illi qui in patriam hanc pervenerunt hoc audentes, omnia soli peragant, sed singularum iurisdictionum subditos excitant; quod ipsi haec eadem per loca sua, ubi nobiles agunt, et Ecclesiae reperiuntur, adimpleant, et mirum est, quam fa-

cile est, quod omnes passim parent et obsequuntur ad has rapinas committendas, nulla in ipsis vi illata, nec coactione facta; quo fit, ut superiores et domini remedium prestare nequeant, si quidem subditi per quos resistere quisque deberet, primi contra dominos insurgunt, qui sic a suis destituti, alio migrare compelluntur; hoc fit ut neque me satis tutum esse in Tridento putaverim, sed ilhinc abeundum duxerim, meque in hanc arcem Rippe receperim, ubi paulo securius vivere mihi videor et agere posse.

Accedit his, quod iam non nulli ex hominibus Episcopatus mei dicto horum audientes sunt et alii ad defectionem sollicitantur. Si quis itaque hos progressus diligentius velit intueri, et initia ipsa perscrutari, et quas vires conquirat haec seditio secum animo volvere, fateri necesse est, et maxime verendum ne (quod absit) usque in ipsam Italiam pervagetur, et labes hec universalis esse feratur, id quod futurum Vestram Sanctitatem aliquando meis admonui, et ad alios plerosque scripsi. Haec volui Vestrae Beatitudini recensere ut si quo modo potest rebus labentibus succurrere, id pro sua prudentia facere dignetur, cui me humillime commendo.

Ex Arce Rippe 18. Mai 1525.

Me autem in specie persequitur hic furor, quod suo tempore Vestrae Beatitudini constabit.

E. Vestrae Beatitudinis.

Hum. Creatura

B. Episc. Tridentinus.

210.

Clemens VII. Archiduci Austriae.

(Epistol. ad Principes per Sadoletum fol. 148.)

(19. Maii 1525.)

Dilecte Fili. Cum primum ad nos fuit allatum de eis tumultibus qui per populares et rusticos in Germania concitati omnium fortunis et dignitatibus minarentur, etsi res illa nobis auditu fuit molestissima, qui innumerabilibus curis et angustiis circumsessi ad omnes vix animo sufficere possumus, tamen semper speravimus nobilitatem tuam sua quadam dexteritate et prudentia non difficiliter illis periculis occursuram et

imperitorum animos auctoritate placaturam: postea vero quam aliis atque aliis nunciis intelleximus maiores quotidie motus in istis locis concitari, testamur Deum, fili carissime, nos cum aliis omnibus causis et rationibus, tum vero ob eum quo te prosequimur amorem summum et singularem, magno dolore fuisse affectos: quamquam enim in hoc malo multa incommodo insunt, quae nos gregis nostri salutem pacemque quaerentes vehementer perturbant, tamen illud est in animo nostro maximum et gravissimum quod te talem et tali virtute ingenio humanitate prudentia preditum clarissimum religiosissimumque principem, his periculis ac aerumnis indigne ferimus conflictari, quae nobis hoc etiam videntur iniustiores quo tua in illis magis et virtus elucet et animi magnitudo, non enim cedis labori neque succumbendum putas, sed alta et erecta mente nihil exoritur repentini mali, cui tu non subitum opponas remedium. Quanto autem maior tua fit virtus et constantia, tanto ea quae te premit perturbatio odiosior. Itaque nos nunquam molestius tulimus hanc quae nos oppressos tenet Sedis Apostolicae impotentiam; vellemus enim, si liceret, ea tibi posse afferre subsidia, per quae et tranquillitati tuae et amori nostro in te satisfieret. Sed quo nos vertamur non habemus, ad veteres enim nostras difficultates novae aliquae accessere quas novit Nob[tas] tua; neque nunc attineret facere nos harum rerum mentionem nisi illo animo essemus omnia pro tua causa faciendi; nostram quidem, quae nostrae adhuc potestatis est, auctoritatem benivolentiam studium ad tua omnia commoda pollicemur, ac vellemus et nostra et tua et Serenissimi fratris tui causa, tempus hoc aetatis nostrae melius esse tranquillum, ut quemadmodum eodem tempore a summo et omnipotente Deo gubernationi ipsi populorum sumus prefecti sic pari et coniuncto animo atque amore munus nostrum exerceremus; sed tantae incidunt quotidie tempestates, ut pene e manibus nostris clavus excutiatur; in tantis tamen fluctibus divino auxilio confidere debemus; ipse enim Deus et mentes bonas inspirat, et in sua causa laborantes non deserit. Quanto autem labor maior tuae virtuti propositus est, tanta erit virtutis laus illustrior: sed nos neque monemus neque hortamur Nobilitatem tuam, non enim illa consilio nec confirmatione indiget: illud potius significamus in tantis difficultatibus omnium rerum quibus premimur, hanc nostram esse maximam sollicitudinem quod

tu indigne molestia afficeris, spe tamen sustentamur nullam tam difficilem esse rem quam non tua prudentia et humanitas cum optimo exitu explicatura esse videatur: Nos, ut diximus, quicquid opera et auctoritate possumus, omnibus tuis rebus et commodis pollicemur. Quod etiam mandavimus dil. fil. Hieronymo Rorario Nuncio nostro ut cum Nobilitate tua communicaret, cui illa fidem habebit.

Datum Romae etc. Die XIX Maii MDXXV. Anno Secundo.

211.

Ferdinandus Austr. archidux Clementi VII.

(Sub Clemente VII. Lettere di diversi Principi et altri 1525. — fogl. 125.)

(20. Maii 1525.)

Sanctissime ac Beatissime Pater Domine Clementissime Post beatos pedes deosculatos humilem Commendationem.

Etsi non dubito Beatitudinem Vestram partim fama, quae est velocissima malorum nuncia, partim aliorum literis, admonitam esse de hiis, quae fiant et gerantur in hac natione, tamen non potui supersedere, quin ipse quoque, aliquanto latius, vel certius fortasse, etiam de huiusmodi ad eandem scriberem, instigante me zelo illo, quem habeo tam erga Sanctam Dei Ecclesiam, quam Apostolicam Sedem, quarum contemptum abiectionemque cum ipse nequeam satis pro animo, deficientibus viribus tum meis, tum recte et pie adhuc sentientium de orthodoxa fide, impedire; tamen quam invitis oculis eadem cernam, libuit simul apud Sanctitatem Vestram hisce literis testari, proponendo nonnulla ante oculos, ex quibus colliget quantum malorum brevi tempore confecerit, laxatis omnibus obedientiae habenis, populus Germaniae potissimum ecclesiasticarum tum personarum tum rerum sitientissimus. Quandoquidem sive fato sive divinae ultionis decreto sive pessimorum ingeniis, factionumque, cupidorum instinctibus contingat, nihil magis in votis est, aut aeque valet iam apud ferocientem multitudinem, ac de Romano Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, et breviter universo clero, in quem transcribunt horrenda dictu, e medio tollendis. Haec una ratio est

eis, ob quam usque adeo turbant publicam tranquillitatem, nihil veriti se opponere tot Principibus, toti denique svevico foederi, in quo ego partes non teneo postremas; persuasissimum habent se Dei negotium agere in templis, coenobiis, monasteriis diruendis, spoliandisque, et misere affligendis sacerdotibus, quibus recepta et placens illi nova institutio in sacris rebus tractandis non placet. Centum et amplius viginti Monasteria insignia et Ecclesiae non illaudatae iacent iam partim funditus eversa, partim ita diruta ut nulli usui sint futura longo tempore; nam per universam Sveviam quae est latissima regio, et nominis praecipui in hac amplissima natione, quicquid bonorum erat praecipue Regularis cleri, cum prophanatis sacris impiae manus demolitae sunt. Et in principatu meo Wirtembergensi, haud saciati tot mala se clero passim intulisse, paucis aliquot in fide oppidis manentibus, mihi conduplicarunt negotium. Adeo quod Svevico oederi summis viribus occurrendum fuit, ne totum hunc Principatum factiosa vis occuparet, in qua opprimenda dum acerrime laborat, in multis aliis locis factiosae rebellis populi legiones suo animo obtemperarunt, nihil non facientes, quod ad ruinam cleri utcumque faceret. Hinc factum quod Episcopus Constantiensis suis oppidis spoliatus, ne cum universo clero suo periclitaretur, conditiones indignas acciperet. Quae apud Argentinam acta sint, pudet referre, nusquam locorum magis est spreta religio quam illic; et Argentinensium exemplo vicini populi Marchiani Badenses, ut ab uva contacta solet livorem ducere uva, adversus Principem suum Marchionem Philippum insurexerunt, qui adeo mansuete hactenus populum suum, ut si quis alius, direxerat. Hunc e Regia sua propemodum deiecissent, iam terris eius locisque aliis in potestatem suam redactis, nisi exterminium fugiens certissimum, acceptis itidem perquam iniquis conditionibus, se populari voluntati tradidisset. Mox proximi subditi Episcopi Spirensis in suum quoque Episcopum et clerum arma acceperunt atque aulicos Nobiles, etsi Electoris Palatini frater esset, et illi vicinus omnino; tantumque eis successit res, ut ipsum sibi coniungerent ad invadendum per Rheni tractum sacerdotum res; quod non minus foeliciter illis contigit, nam dum comes Elector Palatinus suorum quoque tumultum exerentem se iam formidans studet suos servare in tranquillitate, factae sunt legiones populares voti sui apud

Moguntiam compotes. De Wormatia, quae antiquum odium in Clerum retinuit, nihil attinet plura scribere, cum rebus adhuc tranquillioribus lutherissaverit. Pervagata est deinde haec pestis in Hassiam, ubi Coenobio Fuldensi maxime insigni occupato, rebus eiusdem Ecclesiae funditus eversis, quae Imperii Principem nunc usque sustentabat; nec per ipsam Hassiam parcitum est ceteris religiosis locis, adeo quod Landgravius Princeps et Nobiles sui urbibus oppidisque exuti, darentur modo conditiones utcunque inique, ultro iam illas acceptarent. Inde proxima Turinga, cui Georgius Dux Saxoniae pius ille Princeps innocens praesidet, hoc quoque malum sensit, non dubium quin et in ulteriora Saxoniae loca sit irrupturum, presertim iam Franconia quoque sic misere divexata. Quae Herbipolensis populus, quae Eystetensis Ecclesiae, quae item Bambergensis Antistitis subditi in suos Episcopos Clerumque eorundem patrarunt, quae Marchio Casymirus cum fratribus, et universa Franconiae Nobilitas perpessa est longissimum et simul fastidii plena res esset, recensere. Herbipolim insana vis obsedit, et per cuniculos demoliri arcem munitissimam aggressa est. Argentinensis Episcopus, qui Gubernator erat Moguntinae provinciae, interceptus esse nuntiatur, et eius residentia Zabernia oppidum haud incelebre in manum quoque tumultuantium rusticorum cessisse. Augustensis praeter unum locum et alterum spoliatus est ditione sua. Neque Frisingensis Ecclesia evasit hanc procellam. Campidonensis Abbas inter Imperii Principes connumeratus exactus est, resque eius Monasterii quod dirutum est funditus, eo devenit, ut non amplius possit privatae sortis hominem alere, quod et plerisque aliis Monasteriis eorumdemque munitissimis arcibus evenit, non modo per dioceses predictorum antistitum, sed etiam per Lotharingiam, ubi finibus Germaniae est exposita. Alsaciensis populus, qui abundabat omnium, maxime monasteriis et locis religiosis quorum maior portio ad me spectabat iure advocatiae, simili furore eadem destruxit, nobilitate, quae erat magna et strenua ad suam potestatem subacta, arcibus eorundem demolitis, et bonis ablatis. Magnam quoque partem nobilium, ut coniurarent cum eis coegerunt saevitia sua. Hos secuti sunt Sundgaudii, qui Basileam protingunt, et Brisgavii, et qui nigrae silvae incolae sunt illis vicini, omnes mei gentilicii iuris. Nec praetereundum esse censeo, Episcopum Tri-

dentinum expectare omni hora obsidionem, quam rustici minantur, ut ab exploratoribus accepi; quando pridie rustici in Bolzano propinquo oppido bona Monasteriorum, et domus Teutonicorum in praedam inter se partiti sunt. Quid pluribus? in praefatis provinciis et aliis multis locis nihil amplius pristini decoris, ecclesiasticaeque observantiae cernere est. Omnia populare vulgus innovavit, sacrorumque peragendorum ritum hactenus servatum antiquavit; neque hoc scelere impio admodum contentum, eo insaniae processit, ut saecularibus quoque Principibus legem, qua illi de cetero suis imperitent, imposituri esse videantur. Exigunt ante omnia, ut ad modum suum libere eis relinquatur evangelicae doctrinae professio, quam impeditam per episcopos hactenus, uno hore clamant, sibi ipsis electuri in posterum qui declament evangelium; quod ubi sine moderatione ulla, ut etiam cum periculo vitae suae petere et velle videntur, obtinuerint, tum actum erit de omnibus Ecclesiae proceribus, in hac Natione, in quorum exitium conspiravit universa populi Germanici multitudo, quod mihi coram his diebus innotuit. Audivi enim meis auribus ex huius Principatus mei Tyrolensis subditis, ad quos sedandos me ipsum contuli; inceperant enim et ipsi in Ecclesiasticam rem saevire, primum apud Brixinam, in qua expilatum est omne sacerdotium, et Episcopus fugatus, deinde vicina Monasteria, quorum duo etiam depilata sunt usque in vallem Puseranam pro serpentis mali intemperiem sustinuerunt, quanta animorum pervicatia tendant in ruinam totius Ecclesiastici ordinis. Neque enim dubito, quin processissent ad reliqua devastanda, nisi me illis obiecissem omni mansuetudine. Neque vicinos mihi ex hoc latere Bavariae Principes praetergressa est lues haec; viderunt enim et ipsi Coenobia , locaque sua sacra diruta devastata, et expilata aliquot Sveviae vicina, quorum omnium si catalogum scribere velim, modum epistolarum ut excedam, oportet; sed haec per capita duntaxat perstringenda duxi, quo Sanctitas Vestra cognoscat, quibus in terminis res potissimum ecclesiastica versetur, quanquam qui censentur esse saecularis status, et praecipue aliquot insigni loco nati militares viri in Hegovia et aliis locis factiosissime ferocientissimeque multitudinis sint experti vim, e quibus trucidati sunt, et plures arcibus suis expulsi et spoliati. Non erat in Svevici federis viribus, ut in tot locis et tam latis regionibus, in quibus

sub idem ferme tempus ceptum est tumultuari, resisteret. Cum autem perspicuum iam sit, quo tendant animi populares, nempe, ut deiectis Ecclesiae proceribus, libertatem quandam sibi in ceteris quoque usurpent, quae per illos adepta, in exteras nationes sit quoque pervagatura, unde et Sanctae religioni et simul Apostolicae dignitati suum cultum et honorem auferri continget, quod mihi acerbissimum esset; tametsi vires nostrae hactenus coniunctae his intestinis malis non ad sententiam nostram nocuere, maxime quod pedites nostri velut in patria cognataquae viscera abhorrentes ferre arma neque eo animo, neque ea fide quibus in externum hostem ferri solebant, sed frigidiores esse visi sunt, adeo quod in gerenda hac re haud secus atque ipsa tumultus multitudo formidandi sunt. Sed cum robur militare supersit, quod est e nobilitate, quae animo integra est adhuc, et cui optime confidi possit velut laesae a rustica multitudine, externique pedites praecipue Bohemi facili negotio conduci possint, ut militent contra factiosos et sacrilegos rusticos, quos hactenus felicior successus erexit in spem omnia ad arbitrium suum consequendi, si modo pecunia esset nobis, quibus animus est extremam ponere manum contra impiam et facinorosam hanc multitudinem, accito in operam externo milite. Nam diuturnum hoc malum et derepente atque improviso enascens, sese instar hydrae illius fabulosae, saepius conduplicans, et meas vires et Principum atque sociorum rerum publicarum Svevici foederis prorsus exhausit, adeo quod quisque ad opem alibi implorandam iam adactus existat. Itaque cum Sanctitas Vestra iam perspicere possit, quantum immineat malorum reliquo suo corpori, si haec natio amplissima sic pessundetur, cuiusque Principes post exactos Episcopos, innovatumque modum circa sacra, quem praecipue furibunda haec multitudo requirit et exigit, sese deiicere cogantur, quod tamen ego quantum adhuc superest virium, quae sunt tenuissimae, quando praestiti quicquid hactenus potui, velut orthodoxae fidei studiosissimus et istius Pontificiae Sedis atque dignitatis observantissimus presto sum impedire; neque deerunt scio Principes Bavariae, pari animo studioque amplexi semper pristinae religionis cultum et observantiam, atque ipsum denique corpus Svevici foederis ubi Sanctitas Vestra et Proceres atque Ecclesiae Romanae columnae Revendissimi Patres Cardinales in huiusmodi expeditionem prosequendam suppetias in pecuniis attulerint,

quando praeter has nihil desiderari potest, cum munitiones, machinaeque, et quicquid ad rem bellicam tractandam spectat, affatim adsit nobis, et ingens peditatus Bohemicus praecipue quamprimum conduci possit. Haec est una spes et certa salutis ratio. Proinde Beatitudinem Vestram pro mea in Deum et Sanctam Suam Religionem pietate, admoneo et hortor, ut deflectat oculos suos super hanc nationem, qua non fuit altera ut produnt hystoriae, et scrinia Romanae Ecclesiae proferunt, in orthodoxa fide constantior; neque permittat, ut non sine totius religionis periculo, ipsa tota concidat, et pereat. Sed potius dum adhuc quid spei reliquum est, ope sua non destituat, et auxilio pecuniario, cuius usus quam ad reductionem iam hic undique insanientis populi in rectam viam melius locari non poterit, ut firmata tranquillitate, reductaque unione circa divinum cultum, pro quo non opes tantum, sed optimo cuique sanguis est expendendus, videbimus in diebus nostris qui malicia abundant, interitum sanctae religionis, pro cuius incremento Deus dirigat confirmet Beatitudinis Vestrae atque praefatorum Cardinalium suorum cor et consilium omne ita, ut quando nocere solet mora in rebus, opportunum auxilium et suppetias in pecuniis consequamur, ne destituti ope redigamur ad necessitates, in quas populus meditatur nos velut compedes coniicere, et Sancta Ecclesia in hac natione accipiat casum nullo unquam aevo recuperandum. De quo Beatitudinem Vestram admonendam esse putavi, ut si illum fieri contingat destitutis nobis, qui omnes adhuc ad pristinum religionis cultum redintegrandum, pessimis erroribus atque improbatis moribus refectis, suspiramus precipue, quatenus mea referre potest, apud eandem testatum reliquerim, me ad nihil eorum quae secutura sunt ex proposito, sed ipsa mera necessitate impulsum fuisse, sicut Beatitudo Vestra latius cognoscet, ex relatione Caesarei isthic Oratoris, et mei consiliarii Petri de Salamanca, quos pro sua clementia dignabitur et benigne audire et quicquid decreverit, quamprimum sibi visum fuerit, mihi significare; cui persuasum esse velim, si tot Principes vexatos, tot Nobiles oppressos exhaustasque Respublicas neglexerit, haud multo post tempore visuram lapsum totius rei Ecclesiasticae in hac Natione, et proximum quodque regnum secuturum est, ut fieri solet. Nam non adeo sunt infecti optimates cum Principibus; ut si illis accesserit auxilium, quin sint extremum laborem tentaturi;

Oro autem, ut hanc admonitionem bono animo accipere dignetur. Quando mihi prae caeteris, absit iactantia verbo, cordi haeret studium pietatis, quam si possem reducere solis meis viribus, etiam cum manifesto capitis periculo id nunquam detrectarem. Et valeat foelicisime.

Dat. in Insprugg Die XX. Mensis Maii Anno Domini MDXXV.

E. Sanctitatis Vestrae

Humilis et obsequens filius

Ferdinandus arc. austr.

212.

Sigismundus Rex Poloniae Clementi VII.

(Arm. XI, caps. I, N. 56.)

(21. Maii 1525.)

Quod erat iampridem in votis cum V^re^ Sanctitatis eiusque predecessorum tum omnium ferme principum christianorum ut bellum quod inter me et Magistrum Prussiae intercesserat compositum esset, utpote universe rei christiane noxium et pernitiosum, id tandem divino favore factum V^ra^ Sanctitas non ignorat. Cum enim indutie expirarent neque ulla esset spes tante controversie per arbitros dirimende, venit ad me magister ipse condictis prius medio illustrium principum Georgii marchionis Brandeburgensis et Friderici ducis Legnicensis communium consanguineorum et affinium nostrorum, conditionibus pacis et concordie que pro tempore fieri potuerunt et quales mutua necessitudo nostra postulavit, prestititque ille michi debitum suum, quod et maiores mei et ego iustissime exigebam; prestiti et ego vicissim erga illum que iure meo potui, presertim descissente a professione sua ordine illo et terris omnibus Prussiae iustissima hereditate regni mei in potestatem meam redactis, unde sperem tanta bella et dissidia non sopita solum et composita sed etiam radicitus sublata et extincta, alioqui tragedia hec nullum unquam finem habere potuisset, presertim cum subditi mei omnes exigerent a me modis omnibus, neque ab hoc instituto nullo modo dimoveri potuerint in conventu generali regni mei novissimo, vel cogendum tandem Magistrum Prussie ad prestandam obedienciam

et omagium michi et regno meo debitum, vel illum ac ordinem ex terris illis exturbandum. Videns autem ego quantam perniciem afferret non his regionibus solum sed etiam universe rei christiane bellum resuscitatum, a quo me semper et Vestra Sanctitas et ferme omnes christiani principes dehortabantur, elegi pocius eam pacem que pro ratione temporis contingere potuit et visa est solidior, quam omnino necessitate et furore bellico terras et hereditatem meam et Regni mei repetendo omnia vastare et destruere. Considerans alioqui iampridem in Prussia non de ordine solum, sed de tota prorsus religione actum esse, cui errori nullam penitus occasionem unquam prebui, ut etiam in hac pace conficienda nichil non tentaverim quo omnia acta fuissent iuxta observationem sanctae religionis catholicae, prout omnes actus et tractatus nostri testari poterunt, inter quos tamen multa effeci cum consiliariis meis commoda pro iurisdictione ecclesiastica et restitutione bonorum ecclesiasticorum in illis terris, que acta et deplorata videbantur, et spero subinde, Deo propitio et V. S[te] michi assistente, sine magno strepitu ad normam et modum debitum per me reduci posse, qui cupiam et paratus sim semper pro bono statu rei christiane et istius Sancte Sedis Apostolice non modo studium operam et facultates meas omnes sed et sanguinem et vitam meam, si ita res postulet, exponere et profundere. Nec unquam Sanctitas Vestra aliter sibi de me et subditis meis persuaderi paciatur. Nam et pestem istam lutheranam pernitiosissimumque incendium eius quo Regni mei proximus et maior ardet paries, quanto labore et sollicitudine extinguere et a Regno meo arcere nitor, satis cum edicta et legationes mee, tum vel nunctii et legati Sanctitatis vestrae testimonio esse possunt. Significandum autem duxi hunc successum rei pruthenice vestre sanctitati, tum quia sciam illam omni studio ad communem pacem christianorum incumbere, tum etiam quia non ignorem qua cura et benignitate me et res meas omnes complecti dignetur; proindeque spero non mediocrem inde letitiam et voluptatem Vestram Sanctitatem habituram esse, Cui me etiam atque etiam humiliter et ex corde commendo et opto ut diu valeat incolumis et felix. Dat. Cracovie die XXI Maii, Anno Jhesuchristi MDXXV Regni mei anno decimonono.

213.

Rorarius Sadoleto.

(Varior. ad Clem. II. 45.)

(25. Maii 1525.)

Ho recevuto ogi la de V. S. R^{ma} de XIX con el Breve al Ser^{mo} Principe et el plico per Ongaria, qual subito expedito andai da Sua Serenità et li presentai el breve et disse quanto mi parea opportuno circa el grande affano prende N. S. de questi tumulti non solo per esser cossa pertinente alla fede et Relligione christiana, ma quando anchor questa ragion cessasse per el cordial amore porta a Sua Serenità et de vederla cussì indegnamente vexata. Sua Serenità me respose che ne era più che certa del paterno amore de S. S^{tà} del quale aciò habia a durare perpetuamente ne darà sempre bona causa in ogni occasione se li offerisca, et che quanto alle cosse de qui lui ne ha data piena informatione a S. S^{tà} in qual laberyntho se ritrova solo per voler defender la Chiesa et la religione, che quando cerca ciò volesse sequir la voluntà dei populi havrà quello sapesse desiderar da lorro. La qual cossa è più che vera. Et chel expettava la resposta de N. S. et sperava non li mancheria de aiuto, et maxime dove li va tutto lo interesse de la Chiesa et che cerca al presente breve lo legeria et daria resposta.

Le nove al presente se hano V. S. R^{ma} se dignarà intenderle da la lettera che scrivo al Rmo Capuano.

In Hinspruch, die XXV Maii MDXXV.

214.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. Germ. LIII. 90.)

(26. Maii 1525.)

. . . De la cosa Prutenica V. S. hebbe per le penultime mie la non molto lodata risolutione, de la quale omnes fidei et Ecclesiae hostes mirum in modum laetantur; non mi è parso opportuno, re iam sic confecta et transacta scrivere

altro in Polonia; maximamente expectandone il parere di S. B[ne] inteso che haverà tal risolutione; nè il reprehendere quel che già è fatto po a mio parer hora giovare alcuna cosa; stimo ben che non molto dopo quella M[tà] se ne pentirà pensando che chi non serva a Dio et alla soa relligione il iuramento et la fede, molto meno la servarà a uno homo. Fomentando ogni sorta de infidelità questo furore di heresia ch' è già in molte città di quella provincia di Prussia et maggiormente in quelli che perditamente gli sono addicti, sicchè facilmente con questo accordo potrebbono havere eletto un gran inimico di quella corona col tempo.

. . . Qui si è detto per certo la morte del Duca Friderico di Saxonia, cuius anima sepulta est in inferno, se per pietà divina in questo extremo puncto non è stato illuminato. Credo che 'l Duca Giovanni et nipote succederanno nel stato, li quali altre volte intesi che erano pegiori di lui.

. . . Si è detto anchora che 'l Rmo Moguntino è stato preso da quelli di Magdeburga et questi lutherani mettono fama che 'l pigliarà moglie; io non credo nè l' uno nè l' altro perchè ogni giorno seminano simili falsità.

. . . Riuscendo questa cosa di Bohemia ci afforzaremo anchora porgere qualche rimedio et sostegno alle cose di Moravia et di Slesia con lo aiuto de questi boemi, le quali altramente stanno molte male et infettate. Pensi V. S. in quanto fastidio et travaglio io mi trovi dopo tanta expettacione trovarmi anchor qui circumsesso da moltissime difficultà et dubii, di che sempre però sono stato anxio et sollicito; nè per altra cagione quando io mandai lo primo avviso de la conclusione fatta tra loro ricordai che non si facesse pubblica letitia, parendomi che 'l manegiare un tal cadavero di cento anni et più non potesse havere se non difficultà grande, li quali, quando sono così invechiati, offendono meno lassati così come si giaceno; pur potens est Dominus etiam ex lapidibus suscitare fidei spiritum.

Budae XXVI Maii MDXXV.

215.

Campegius Sadoleto.

(Nundat. German. LIII. 102.)

(26. Maii 1525.)

Havendo già mandato il presente spazzo alla posta mi sono sopragionte le incluse lettere del Fabro mandatemi per uno suo a posta el quale havea in instructione de riferirmi come la S. V. vederà de la copia ch' io le mando qui appresso de la instructione soa.

Et benchè io stimi che 'l Rorario, scriva et avisi a sufficientia di tutte queste turbulentie, pur anch' io le ho voluto significare quello che hora intendo et con esso dirli per questi et altri rispetti io delibero di lassare quella via de Inspruck partendomi de qui prima che io possa et venire come altre volte scrissi alla via di Segna o di Fiume et per mare de lì in la, perchè a niun modo vedo segurezza nel mio camino per Germania.

Quando pur N. S. volesse ch' io fussi col Principe, a me serà men grave de Italia tornare sin Inspruck che andarli di qua, et so che sua Bne non vuole ch' io mi metta a manifesto pericolo. Expedita dunque questa praticha boemica alla quale attendo con ogni sollicitudine, mi metterò in camino perchè anchor qui non si po longamente star con dignitate. La venuta del Fabro a queste parti è ut conflet quantum potest argenti et ex monasteriis et ex ecclesiis. Budae XXVI Maii MDXXV.

Quae Justus Budae tractare debeat sive referre.

In primis salutabit R. mam familiam et certos nominatos familiares. Dein referet eidem Rmo causas propter quas ad haec loca fuerim destinatus. Item quod lutherani in Inspruck multos famosos libellos hinc inde contra Episcopos ac alios affixerint propter quos Episcopi Tridentinus et Brixinensis, ne peiora sequerentur incomoda, a principe discesserunt.

Item quod quando a principe discessi animus illius totus bonus et christianus erat; tamen qui Ecclesiastici discesserint scire non possum quomodo sint incubaturi nonnulli, et posteaquam me in confessorem elegerat non pauci fuerint qui in me culpam, si modo culpa est, reicerent, quod ego principis seductor essem ne non abiret in seditionem lutheranam et cum

rusticis profligaret Episcopos, everteret monasteria, ac alia mala tentaret; adeo perverse aguntur omnia.

Archiepiscopus Saltzburgensis est certe in magno periculo; nam me per provinciam suam transeunte, ipse meis auribus audivi mussitationes rebellionis.

Duces Bavariae spoliarunt monasteria bonis suis, potissime clenodiis atque aliis etiam his quae in Ecclesiis erant.

Herbipolensis Episcopus obsidetur in castro.

Nec minus quam centum monasteria passim in predam et exausta fuerunt, neque baptismo neque sacrario parcitur.

In Waldshuc nihil omnino de Sacramentis curatur, eversa sunt altaria, nemo baptizatur, neque sub una neque sub duplici specie fit communio; de confessione et aliis rebus sacris actum est.

Quae Zuinglius in Eucharistiae laudem scripsit iam revocantur et ridet cum Carbstadio hoc Sacramentum.

Verulanus episcopus revocatus Roma rediit.

Dominus de Bredan rediit a Caesare ac reportavit quod princeps qui prius in Tyroli dumtaxat gubernatione fuerat, modo factus sit dominus.

Elvetii inter se dissident tum propter lutheranam factionem tum propter regem Gallorum.

Dux Vertembergensis habet secum non minus quam XX millia rusticorum.

Comes Palatinus est etiam in armis, nam seditio per Rhenum extenditur.

Dicunt Caesarem in brevi traiecturum in Italiam.

Episcopus Constantiensis totus destructus est.

Item et Augustensis nullam amplius obedientiam habet.

Brixinensis passus est sacchezationem in Brixina.

Item quod ego de nullo beneficio quadrantem habeo.

Item quod hoc ipso momento quidam mercatores per . . . referentes nullibi non esse tumultus.

Quod nullibi tutus erit manendi locus domino Reverendissimo preter quam in civitate nova.

216.

Clemens VII. Ferdinando Archiduci Austriae.

(Clem. VI. Epist. ad principes per Sadoletum scriptae fol. 154.)

(29. Maii 1525.)

Dilecte fili etc. Lectis litteris tuis, quae de tumultibus agrestium, et quanto in periculo Nobilitas tua versaretur nobis nunciabant, sane pro eo, sicut debuimus, commoti fuimus; nam et dignitatis atque auctoritatis tuae conservatio et salus totius Germanicae Nationis, quam prolabentem et ad interitum inclinatam sustentare quoad possumus sumus cupidi, magnam nobis curam iniecerunt, ut Tibi non deessemus nostra ope atque auxilio, atque in maximis nostris et Sedis Apostolicae difficultatibus, quas tibi esse notissimas scimus, aliquid tamen corraderemus, quo tu amoris nostri et studii de tua salute testimonium habere locuplex posses. In quo tibi subsidio conquirendo praeclara voluntas Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium extitit, quorum assensum aliquot ex reliquis ordinibus consecuti, summam quandam pecuniae sub fide nostra libentibus animis contribuere polliciti sunt, neque enim aliter quam ex tributo et mutuo confici res potuit; eo deventum est propter calamitates superiorum temporum, ut Sedes Apostolica quae ante oppressis iniuste Principibus liberaliter subveniebat, alienam nunc ipsa opem et liberalitatem expectare cogatur. Itaque descripta sunt continuo XX milia aureorum quae tibi istic solvenda mandavimus hic postea Romae per nos reddenda, conabimurque aliquid amplius etiam deinde parare si tamen probare et ostendere potuerimus his qui contribuunt non in nos solos totum onus reiectum esse, sed et Nob^tem^ tuam et coeteros Germaniae Principes pro sua salute et dignitate retinenda aeque ac nos et laborare et conferre. Nam quod ordini ecclesiastico in istis regionibus periclitanti subveniamus, videamur forsitan rem profligatam curaturi; audimus enim passim omnia sacerdotum iura, commoda, ornamenta, impiorum potius avaritia quam iusto odio, praedae et direptioni exposita fuisse, in quo mittimus iniuriam factam omnipotenti Deo, cui cum ab ignaris etiam dum verae fidei gentibus is coleretur, erat tamen tertia fere pars terrestrium opum in agris et pos-

sessionibus consecrata, qua sacerdotes omni immunes ab onere fruerentur, sicut vetus sacra scriptura de Pharaone Aegyptoque declarat; atque illi idolis falsis in suis sacerdotibus tantum honorem habebant, Christi vero cultores coelestis fidei sacramentis imbuti, ut hunc Deo vero eripuerint honorem hanc illi praerogativam fedarint et proculcarint, quonam malo demone miseri potuerunt adduci? Sed mittimus Dei iniuriam, quae quanquam malorum omnium maxima, tamen apud occecatos animos locum nunc non habet. De principibus ipsis et de Nobilitate Germaniae, ex his ecclesiarum ruinis quantum est detractum! Illos enim pascebat, illos honestabat ecclesia, illud erat promptum domestica difficultate laborantibus perfugium, quo sublato atque erepto, frustra in omnibus quae evenient posthac tempestatibus portum suae quietis et tranquillitatis sunt desideraturi; quid quod sublata auctoritate ecclesie nullum est inter Principes populosque pacis et concordiae firmamentum, cum tanquam anchora tutissima Principibus semper fuerit dignitas ecclesiastica, quae Dominatum stabiliret illorum, et in popularibus fluctibus eum salvum sisteret, quo armamento dirupto, iam experimento possunt discere, se ad omnes impetus furentium populorum solos fore expositos. Qui cum a nobis tanto ante monebantur, ut hunc caverent exitum, neve Lutheranis novitatibus obsecundando, tantam perniciem et pestem alerent, quam in ipsorum primo caput denunciabamus erupturam, partim spreverunt salutaria consilia nostra, partim non crediderunt, exceptis paucissimus, qui et virtute et prudentia prediti, obsistere conati sunt, tua Nob[te] in primis auctore et Duce, cui pro hoc preclarissimo animo, omnia profecto debere nos profitemur. Tibi igitur, Tibi et iis qui tecum eadem religione ac pietate erga summum Deum ad succurrendum pereunti patriae suae incensi sunt, ea quae possumus libenter impartimus auxilia, amplius etiam cupientes; sed facultates amori pares non sunt. Nec desistemus inire aliquid consilii quo, si tu et reliqui Principes Germaniae vestram dignitatem et in ecclesiis restituendis divini nominis honorem ab omni labe atque iniuria vindicaveritis, impiaeque novitatis, et inauditi alias sceleris incendium restinxeritis, gratiam vobis aliquam referat Ecclesia, onerumque vestrorum et sumptuum, quae propterea subieritis, partem non mediocrem sufferat; etsi te currentem sponte tua scimus nos incitare; quid enim tua

pietate, tua constantia ac integritate clarius? ac gravia quidem sunt quae te cingunt pericula, sed eadem gloriam tibi eam benivolentiamque pariunt, cuius fructus a te percipietur sempiternus. Nos tuis litteris lectis, et ad Serenissimum fratrem tuum scribere instituimus et cum eis Principum oratoribus qui apud nos sunt vehementer egimus, ut pro sua parte hortarentur suos, ut ad haec arcenda pericula ferre subsidium velint; in quo maxima est Caesaris auctoritas, facultas autem omnium et voluntas esset maior, si quo modo aut componi fida pax, aut induciis quies dari afflictis et dubitantibus populis possit, in qua pace suadenda tuae praecipue esse debent partes. Illud et vellemus et consulimus tibi, ut eius exercitus fraterni qui locis tuis propinquus est opera et auxilio uti in tanta re velis, cum semper ei periculo quod praesens maxime est subveniendum sit, et omnes intellecturi sint Nob^ten tuam vere atque ex animo ad succurrendum periculis communibus totius Germaniae intentam et paratam esse; sicut latius tecum dil. filius Hieronymus Rorarius nuncius noster nostro nomine aget, cui Nob^tas tua fidem omnem habebit.

Datum Romae etc. XXIX Maii MDXXV Anno Secundo.

217.

Episcopus Tridentinus Clementi VII.

(Epist. princ. III. fol. 136.)

(30. Maii 1525.)

Beatissime Pater Domine mi Colendissime, post pedum beatorum oscula humillimam commendationem et obsequiorum meorum oblationem. Vidi quid ad me Beatitudo Vestra scripserit per breve suum die decimanona huius, quod ad me per Nuncium Suum Rorarium ex Insprugga missum hodie accepi. Ego, sicut ipsa desiderat, omnem operam duturus sum, quo me agnoscat tam suiipsius studiosissimum, quam etiam Sedis Apostolicae observatorem vigilantissimum, ut ne quid minimum quidem de mea erga se fide et devocione depereat, minime unquam praetermissurus quin eidem reverenter enunciem quecumque ad dignitatem suam vel tuendam vel amplifican-

dam attinere arbitratus fuero in his maxime, ut molestissimis sic pernitiosissimis rusticorum seditionibus, quas ego pariter, post patriam infectam, in episcopatu hoc suo, magna ex parte et videre et sustinere coactus sum. Atque utinam velit Deus Omnipotens quod hic omnia possint vel pacari, vel extingui, cura, studio et prudentia Serenissimi Principis, qui ad id praestandum omnia cogitat, conatusque suos quam potest diligentissime impendit, quod si Sua Serenitas (quod absit) rem non confecerit, sed ipsi oneri succubuerit, actum plane video de rebus his Tridentinis pariter ut de reliquis, et eadem posthac inter proximas mihi nationes metuenda erunt. Quae omnia velit Sanctitas Vestra sua prudentia, suo consilio perpendere, atque prospicere, et quam potest his rebus extinguendis opem ferre, quod nemo melius quam armis adsequetur, ut idem Princeps Serenissimus facere instituit, si fautores habuerit, et eo modo continget quod vestra Beatitudo dum adiuvat aliena sibi ipsi consulet, et sua tuebitur cui me et Ecclesiam Suam Tridentinam quam maxime commendo.

Ex Rippa penultimo Maii MDXXV.

Hum. Creatura
B. Eps. Tridentinus.

218.

Episcopus Tridentinus Clementi VII.

(Epist. princ. III. fol. 137.)

(31. Maii 1525.)

Beatissime Pater et Domine Colendissime post pedum Beatorum oscula humilimam comendationem, et obsequiorum servitutisque mee oblacionem.

Quanto magis animo verso debitum fidei et observantiae mee erga Vestram Beatitudinem et Sedem Apostolicam, eo magis adducor ut nihil debeam pretermittere quod a me dici prestarive possit pro Sua cum exhaltacione et honore tum etiam reipublice comodo et augumento. Novit imprimis Vestra Beatitudo ipsius Germanie tumultus et seditiones inauditas, queque ex his manarunt cedes, incendia, depopulationes ec-

clesiarum ac monasteriorum eversiones cum bonorum direptionibus ut iam omne malum pro uniuscuiusque libidine et sceleris genus ex illis regionibus auditum fuerit et indies audiatur, et precipue id quod ad ecclesiastice dignitatis simul et auctoritatis oppressionem manifeste tendit, quin etiam quod amplius est et minime verendum erat, eadem seditio idemque morbus patriam istam et comitatum Tyrolensem novissime invasit et veluti ex quadam subita conspiratione usque ad ipsam civitatem Tridentinam permanavit, de qua certo parum abfuit quominus audirentur que alibi patrata referuntur. Voluit tamen Deus Omnipotens mei et meorum aliquanto misereri ut neque apud omnes Tridentinos ea labes invalesceret, neque ulterius usque modo serperet, ad quam comprimendam sicut Serenissimus Princeps operam curam et omne studium suum diligentissime semper navarit ita impresentiarum oculorum maxime studet atque contendit, adeo ut quum religiosissimus et simul pientissimus semper fuerit Sedisque Apostolice studiosissimus, iam maxime cupiat intelligi sese vires quasque suas intendere ad hanc seditionem labefactandam et cohibendam, sic arbitratus fieri ut beneficium quam maximum Sedi Apostolice et Christiane religionis a se collatum esse censeatur. Quis enim haud videt, comitatu Tyrolensi tumultuante et his ipsis seditionibus succumbente, inde viam aperiri ad quasque proximas Italie partes ubi nempe cause eedem vel maiores illos populares ad seditiones huiusmodi suscitandas, ut alibi, invitare possunt? Si quidem in omni malo, et in hoc maxime, usu venit ut primo inchoatum coaluerit et pauxilatim tam longe lateque serpserit ut iam totam Germaniam Christiane reipublice partem non modicam infecerit et ad Italie fines usque sit pervagatum. Ego vero quid in has temporis calamitates prestiterim, curaverim, maximoque meo sumptu profecerim opponendo me ipsum, resistendo nihilque pretermittendo ut hos sevientes rusticos et debaccantes lenirem temperarem et cohiberem, mallo id ex aliis vestram Sanctitatem, quam ex me ipso, cui in his gloriari non licet, intelligere; hoc unum inter cetera gaudeo me curis et assiduis meis laboribus Deo optimo maximoque adiuvante id esse assecutum ut quum plerique per Germaniam per suos sedibus suis pulsi sint, ipsa me civitas Tridentina crebris cum nuntiis tum literis interpellat et rogat ad reditum, pollicentes, quicquid ad fideles subditos attinet sese diligentissimos presta-

turos: quod si neque ego hanc molestiam omnino evadere potui, fero id, vel ob hoc animo equiore quod certus sum me et ceteros plures Sedis Apostolice devotos haec omnia pati opportere pro fide et devocione erga se defendenda, quam pro virilia mea inter alterius factionis homines viriliter ut decuit tutatus sum et tutabor semper sine ulla etiam proprie vite ratione. Que omnia volui paulo lacius Vestre Beatitudini explicasse et eidem pro mea erga se observantia recordari in his rebus vel sedandis vel vi cohibendis plurimum agi de honore, de gloria, de comodo, de salute sua et ubique tocius ordinis ecclesiastici defensione, et proinde necessitatem ipsam postulare ut examinet perpendat et prospitiat quantum conducat seditiones huiusmodi in ipsa Germania extingui ne ulterius progrediantur; atque ideo ut consulat provideat suppetias opemque ferat quam citissime potest, ubi et apud quos opus esse intelligit; per hoc enim ut video gloriam immortalem decusque perpetuum sibi comparaverit, fieri quoque pro tempore poterit ut omne impendium, omnis sumptus quem ad has commociones eradicandas contulerit, damna quecumque sibi cumulatissime resarciat, id quod vel animosius curare debet quod idem Serenissimus Princeps hoc ipsum diu noctuque cogitat ac nihil reliquum facit ut defendende dignitatis ecclesiastice clypeum induat, in quo permaxime profecerit si ipsa sibi opem attulerit. Cui me ecclesiamque suam Tridentinam vehementer commendo.

Ex Rippa Tridenti ultimo Maii MDXXV.

E. Vestrae Beatitudinis.

Hum. Creatura
B. Eps. Trident.

219.

Abbas s. Antonii Viennensis Clementi VII.

(Epist. princ. III. 145.)

(3. Junii 1525.)

Quae in Alsatiis divina Lutheranae illi pesti ultio intulit, V. S. explicare quod presumo non tam temeritati mihi ascribendum obsecro quam quod summa ipsa res summas V. ipsius

Sanctitatis aures attingere digna censetur. Accepto itaque nuncio de Anthonii Lothoringorum Ducis ill[mi] cum copiis in seditiosos et hereticos et heresiarcas properantis motu, impurissimi tandem illi qui passim agros Alsatios invasi ecclesiasticis bonis diripiendis, sanctorum comminuendi effigiis basilicisque de ipsis etiam fundaminibus evertendis religionis et Dei contemptores, dies noctesque tenebantur arma in illud sanctum fidei clypeum Anthonium sumere per turmasque alio atque alio nobis insidiari. In quos ubi classe Princeps pergeret instructa Savernam, fossis menibusque, omni etiam tormentorum bellicorum genere munitissimi, oppidum non procul ab Argentinis, suadentibus oppidanis ad sexdecim ferme millia confuratorum illorum armati sese recipiunt, Principem vel vi, vel dolo, vel cunctatione opprimere necquicquam rati. Mox autem obsessa idibus Maiis viriliter urbe paratisque in eversionem necessariis, de deditione sermonem fingentes aliorum confuratorum qui ad sex et quadraginta millia haud procul aberant, clam auxilia vocabant: ut, quum nihil horum veritus princeps tuta inter componendas spe deditionis res arbitraretur omnia, undevis opprimeretur. Sequenti autem die cum nondum satis illuxisset hora vix a media nocte secunda, proditis proditorum horum insidiis qui urbem clanculum ad impia molimina cedebant, instructa et ad pugnam tum quoque nostra parata acies mox irruens, truncatis pene septem et decem millibus urbe potitur. Appropinquabant interea ad quinque millia ferocissimorum hominum Savernanis suppetias laturi, qui et non procul hinc in villa quadam obsessi, cum nec dedere sese nec supplicare placeret, tum gladiis, tum igne ad unum consumpti perierunt. Porro maturante, rebus ita gestis, regressum Anthonio ad XIII kal. Junias ecce viginti pene hominum millibus ad certamen paratis fit obvius. Accingitur utraque acies ad bellum hinc inde et tormenta bellica (illi enim non vulgares et abiecti sed bello assuetissimi); fit strages non mediocris. Et profecto anceps diu victoria, duce tandem Deo optimo maximo cuius res agebatur, Lotharingis favit, caesisque ad novem pene illorum impudentissimorum millibus, reliqui in abrupta montium angustissimosque lucos, loci ac noctis beneficio sese receperunt. Quanta autem B. P. Dei providentia id negotii processerit, fuerit coniectura facilis, his qui tres victorias quinque continuis diebus principi vix decem pugnatorum

millibus stipato millia adversus sexaginta et amplius fortissimorum bellatorum semet patriumque solum defendentium multos item menses nedum sibi caventium at in alienas quoque caedes accinctorum idque ferocissima in gente, caelo demissas victorias, truncatis eorum triginta millibus, reliquis aut vulneratis aut fusis, meditabunt. Ego vero B. P. S. V. quae praesens vidi ea scribo; equidem multi clericali charactere insigniti pugnanti principi assidebant, quibus quod forsan illis cum perditis manum conseruisse dici nec ab re possent, ageret S. V. pientissimum principem vel simplici vel cauta, sive declaratione, sive absolutione, sive alia medela, demissis isthinc ad nos S. V. litteris opem eis ferre. Vestra igitur S. B. P. quamhumillime possum exorata velim meas hasce litteras boni consulat seu habeat, mihique sanguine coniunctam Margaretam a Haraucuria in Monasterii Romariciensis expeditione commendatam etiam habeat, et me perpetuo eidem obsequentissimum mancipium noscat, quam et diu toti Reipublicae Christianae faelicem faeliciter servet omnium illa vera salus. Ex Nanceyo die Tertia Junii MDXXV.

Addictus servulus et obed[mus]. cap[us].
Humilis abbas Monasterii S. Anthonii Viennensis.

220.
Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 96.)

(5. Junii 1525.)

Quanto alle cose di Germania et di levare quel commercio N. S. pensa molto bene, nè al presente è da tentare simile rimedio, perchè quelli principi sendo la tumulti in tanto cresciuti sono constretti a provederli da se stessi, et credo che così faranno; poi se la Maestà Cesarea vorà, come la scrive facilmente si restituirà ogni cosa al ordine suo.

Ho inteso il ricordo, che si dà di Balibech et se ne advertirà Colocense, il quale per essere prudente et conoscere con chi ha a fare stimo andarà in tutto, pesatamente. Detto Colocense scrive per una soa de 23. de Magio come per replicati avisi intendea chel Turco indixerat bellum et qui omnes essent

parati, ne quis posset se excusare et chel dimostrava tre vie, luna ad Hungariam, laltra ad Moldaviam, et la terza che voleva obviare Regi Gallorum, qual dicevano che veniva per mare verso Constantinopoli.

Scrive anchor che sono pochi giorni, che sendo il Turco fuora in Campagna in certo luogho detto Zampola a cazza che si levò una procella de un tempo con pioggia, vento et tempesta che amazò una gran moltitudine de homini et con grandissimo periculo, egli scappò sopra un cavallo sanza sella, et chel seguente giorno chiamò li suoi hochijak zoè preti et li dimandò quid dicerent de huiusmodi tempestate, et che risposero chel mancharebbe il suo imperio perchè le opere et vita soa erano contra Dio . . . .
. . . .

Vostra Signoria vederà per una copia de una lettra del Cocleo, come vanno le cose in Francfordia et Maguntia. Dio gli metta la mano che vedo ogni cosa andare in pricipitio, pur spero che quelli Principi si svegliaranno, et già intendo, chel Duca Giorgio di Saxonia, Lantgravio, et il conte Palatino et molti altri sono stretti et forti insieme per castigo de villani, et che de quelli hanno tumultuato in Misna ne hanno amazati da ottomila . . . .
. . . .

Circa la cosa prutenica Vostra Signoria per lultime haverà inteso quanto di Polonia si have per excusatione di quello appuntamento, et la risposta fatta per il Reverendissimo Santiquattro è molto prudente et perchè in quella si desiderano le cagioni che ha mosso quella Maestà a tale effetto et con le dette lettre tutto si era inteso, il Barone et io habbiamo pensato che sia buono expettare altro aviso di costà non si potendo per hora dir più di quello che ha scritto Sua Signoria Reverendissima et il far riprendere più quella cosa già conclusa non pare che possa molto giovare; si expetterà per il Barone altra commissione da Sua Santità, alli cui Santissimi piedi humillime mi raccomando, et a Vostra Signoria anchora, quae felix valeat.

Budae Quinta Junii MDXXV.

Uti frater Deditmus **L. Card. Campegi.**

221.

Cardinalis et Dux Lotharingiae Clementi VII.

(Epist. Princip. III. 147.)

(4—6. Junii 1525.)

Solebant antiqui illi Romanorum Imperatores, Sanctissime Pater, aliquo praeclaro in Reipublice hostes edito facinore, id demum S. P. Q. R. perscribere ut allato de re feliciter gesta nuncio, supplicationes XV dierum aut eo amplius diis immortalibus haberentur, vel triumphus, si id rei magnitudo postularet, novo imperatori decerneretur. Mihi vero hoc tēmpore nihil admodum de triumpho laboranti, visum est Tibi Reipublicae Christianae moderatori precipuo per litteras significare bellum a nobis his proximis diebus Dei opt. max. voluntate foeliciter profligatum, quodque tibi sane videbitur eiusmodi ut pro eo confecto, si per Christianam modestiam liceret, non unus triumphus sed plures fuerint decernendi. Quia vero supplicationes primo quoque die Deo immortali sint habendae illique agendae gratiae reipsa plane percognita cuiusmodi sit, minime dubitabis, quam ut ab initio totam intelligas paucis quoad eius fieri poterit explicabo. Ardet tota fere Germania factione Lutheridarum, quorum non pauci rerum novarum cupidi conspiratione facta iureiurandoque inter se confirmata, in agro Alsatio convenere, palamque per praeconem edixere se in animo habere Christi doctrinam si diis placet Evangelicam hoc tempore humanis constitutiunculis abrogatam omnibus omnium ordinum hominibus observandam proponere, miseramque plebeculam ab impotenti nobiliorum dominatione liberare. Siquidem proposita spe sordidis et egentibus hominibus licentiae potius quam libertatis consequendae, tum vero etiam inopiae sublevandae, nihil dubitarunt, quin statim ad se magna levium ac perditorum hominum colluvies conflueret; quod ita sane accidit. Namque plus minus tercentum mille hominum eiusdem factionis convenisse audio, qui ne ab re frumentaria laborarent, in partes disjecti cunctam propemodum Germaniae plebem ad seditionem concitarunt. Horum autem ipsorum non contemnenda manus in Lotharingiae fines incubuit, oppidanos nimia libertate dissolutos nimiaque rerum omnium copia diffluentes per emissarios et concionatores ad seditionem

sollicitat; quorum partim predae dulcedine capti quod saluberrimas non minus quam uberrimas Galliae regiones spe devorandas in hac temporum calamitate presumerent, partim autem licentiae cupiditate adducti, istos oppido recipiunt, nomina dant, seque omni in re qua possint nepharios istorum conatus adiuturos confirmant. Id ubi primum rescivit Anthonius frater Lotharingie Dux principes nobilitatis convocat, palam exponit quid de istis seditiosis hominibus audierit, rogat ut pro panagii iureiurandi auctoramento sibi ad propulsandam egestate et scelere perditorum hominum audaciam die quam prestituit presto adsint, secumque florem omnem nobilitatis evocent, reliqua que ad commeatum pertinent cunctasque machinas bellicas sibi curae fore dixit delectumque peditum tota provincia habiturum; auxiliares praeterea copias si opus fuerit a fratribus praeside Campaniae comiteque Vaudemontio impetraturum. Quo audito confirmatis omnium animis illos ad comparanda quae necessaria videbantur dimittit. Praeses vero Campaniae comesque Vaudemontius certiores de fratris discrimine facti non expectant dum rogentur, quin praesto advolant ducentos equites cataphractos cum quadringentis hippotoxotis secum adducunt, peditum praeterea circiter quinque millia. Quibus freti copiis delectos tota provincia pedites, prius de eorum facili in principem obsequio collaudatos, paucis receptis, domum dimittunt; cum reliquis obviam hostibus ire pergunt, qui ad Sabernam in agro Alsatio sitam consederant, circumque adiacentia oppida ferro ignique vastabant. Quorum eo prorupit furor impius immanisque temeritas ut non solum nobilioribus sacrisque sacerdotibus internecionem minitarentur, sed etiam Deo divisque immortalibus bellum nepharium indixisse viderentur, templa Deo divisque dicata solo aequare et in ipsis statuas divae etiam Mariae sacras arasque disturbare, huic caput, illi crura, quibusdam utrumque non sine magna contumelia abscindere; quin etiam, quod scribendo abhorret animus, in Corpus Christi quod de more templis religiose custodiri solet . . [1])

Quantopere meliorem Germaniae partem iamdudum infecerit Lutheranorum factio, Beatissime Pater, supervacaneum

---

[1]) Hic folium desinit; alter, nec fortasse eiusdem epistolae, incipit eiusdem ferme argumenti. Sed forsitam alia epistola scripta die 6 incipit verbis: *Quantopere* etc. dum epistola prima die 4 scripta, non videtur completa. Prima epistola est Cardinalis, haec secunda Ducis Lotharingiae.

sat scio fuerit Tuae nunc Sanctitati perscribere; cui nimirum obscurum esse non potest quod vir ille pestilentissimus pestilentissimis suis dogmatis apud suos promoverit. At vero quam et apud nos quoque huiuscemodi gangredo his diebus irrepere conata sit, quamque sedulo sit a nobis itum obviam, abunde ex horum latore cognosces, qui et ipse rei gestae interfuit ac summa cum fide Tuae Beatitudini referet quae nos ei dedimus in mandatis. Non facile profecto dici queat quo tandem dementiae pessimus genius perditos hosce seditiososque homines adegerit. Qui non contenti sacrilega sua doctrina tot iam tantasque Germanorum nationes imbuisse, nunc tandem ad christianae reipublicae tranquillitatem penitus perturbandam arma etiam rapere non verentur, insanissimis suis tumultibus sacra prophanaque omnia miscentes. Pervaserat his diebus eorum furor ad agrum usque Alsatium nostrae ditioni vicinum, quo in loco quam impia, quam flagitiosa, quam nephanda admisserint non unius profecto fuerit voluminis explicare. Sacras aedes diripere, clericorum compilare domos, divorum simulacra statuasque obtruncare, comminuere, exurere, templa ipsa funditus evertere, Deo dicatas virgines suis pellere sedibus, ad impia eas adigere, sacerdotes ac coenobiarchas indicta caussa mactare, ne ab ipsa quidem Sacrosancta Eucharistia, quae demore templis custodiri solet, sceleratas abstinere manus; breviter nihil prorsus eorum non confidentissime perpetrare quae ad factiosissimos con iuratissimosque siccarios pertinent. Id quod certe quum ita ab illis fieri videremus, ut periculum esset ne et in nostra quoque ditione sibi vicina imperitae multitudinis incautos animos seducerent, id videlicet eo facilius quo maiorem ipsi plebeculae libertatem aut licentiam verius proponebant, equidem in rem Christianam facturum me putavi, si primo quoque tempore tantis tantorum malorum initiis occurrerem. Collecto itaque mediocri quidem illa sed non contemnenda tamen nostrorum militum manu, una cum auxiliaribus copiis quas Claudius Campaniae praeses ac Ludovicus Comes Vaudemontius fratres nostri adduxerant, in eos statim impetum fecimus, adeoque nostris conatibus sedulitatique Christus favit ut intra dies quinque e tribus praeliis quibus cum ipsis confliximus, totidem retulerimus victorias, caesis illorum tringinta plus minus millibus, totidem propemodum fusis fugatisque. Nunc igitur posteaquam bello hoc Deo adspirante feliciter confecto, reducem habet patria,

mearum ego partium ratus sum eorum omnium S. T. certiorem reddere ut quando certissimum habere par est, hoc quicquid a nobis actum est non citra fatalem Dei Opt. Max. providentiam contigisse, qui nihil non sapientissime disponit, det proinde operam E. T. B. ut supplicationibus piisque obsecrationibus Deum placet Ecclesia, quo reliqui eiusdem factionis perditissimi homines, qui ingenti nos etiamnum agmine circumstant, ad meliorem tandem aliquando mentem revertantur, Authore eo, qui perstaturam Petri fidem olim pollicitus tuam etiam Bem componendis rebus mortalium diu servet incolumen. Ex Nanceyo die VI Mensis Junii.

E. S. T.

Devotissimus obedientissimusque filius
Calabriae Lotharingiae et Barri Dux **Anthonius.**

222.

Clemens VII. Carlo V.

(Clementis VII. Epist. ad princ. Sadoletum scriptae fol. 157.)

(9. Junii 1525.)

Carissime His diebus cum de tumultibus Germaniae, quae fere tota illis impiis lutheranae pestilentiae seminibus perturbata ad nobilium et principum suorum caedem ecclesiarumque direptionem consurrexerat, graves nuncios habuissemus, ac pro nostra summa cura tuendae Christi religionis et dignitatis tuae dil. fil. nobili viro fratri tuo id a nobis per litteras postulanti auxilia pecuniaria mittere decrevissemus in his miseris et afflictis Sedis Apostolicae temporibus summo cum labore expressa: destinare instituimus dedita opera tabellarium ad dil. fr. Baldassarem Castilioneum nuncium nostrum, qui cum Serenitate tua omnia communicaret; exemplumque litterarum prefati Archiducis misimus ac plane eum instruximus per scripta nostra de eo quod agendum et conferendum cum Serenitate tua esset. Nunc quum iam remediis acrioribus haec tanta mala indigeant, estque fidei christianae et universae Germaniae sedandae ac componendae omnis in tuae Serenitatis virtute atque prudentia spes reposita, hortamur eandem tuam Serenitatem in domino ut hoc tempore demum quando adhuc tua lenitas et

clementia non tantum quantum debuit prodesse in tanta perturbatione temporum profuit, suscipere partes et animos invicti Caesaris velis ac severitate et imperio efficere, ut haec pestifera serpens quae omnia tabe et veneno permiscet atque conturbat iusta animadversione elisa atque confracta, aliquando cum Germaniam ipsam sedem ad fundamentum imperii tui tum universam christianitatem liberam pacatamque dimittat: Quoniam si his opportune non occurratur malis graviter timemus, ne cuncta in unam pertrahantur ruinam, sicut ab ipso Baldassare nuncio nostro Serenitas tua amplius intelliget cui fidem et attentionem animi prebere non gravabitur.

Datum Romae etc. die septima Junii MDXXV. Anno Secundo.

223.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 103.)

(18. Junii. 1525.)

... Circa li tumulti di Germania et maxime contra il Principe N. S. et V. S. haverano poi inteso il seguito tutto et la cosa pare che penda in la dieta che hora fanno in Inspruck et io dubito che 'l mal consiglio non operi et induca S. Ser[tà] a qualche cosa men degna di se, et in tutto aversa et contraria allo animo suo buono, come si vede in questo principio, et benchè lui pensi di ingannar quelli villani, pur Dio sa se si potrà fare poi a tempo et come si pensa, perchè la natura et movimenti dei populi non si (*sic*) facilmente regolare come ottimamente è considerato da N. S. in la instructione mandata in Hispagna et come più volte ho scritto, quella via mi pare unica al provedere a queste fluctuationi, et se la Cesarea Maestâ vorrà, come credo, tutto questo fuoco ancor che sia grande passerà et extinguerassi presto, et ne havemo exempio per quello che ha fatto il Duca di Loreno et il conte Palatino, de li duchi de Baviera et di Saxonia, del Duca Giorgio et de la liga suevica et del cardinale Saltzpurgense che pur si diffende et aiutandolo com' io intendo li Duchi di Baviera, è da credere che le cose soe se acqueteranno come di tutto

S. S^tà prudentissimamente discorre ne la prefata instructione, la quale lascio quì al Barone acciochè, come V. S. scrive, el se ne prevaglia bisognando con questa Maestà et Signori con li quali farà l' officio, ma poco si po sperar da essi.

Ex Alba Regia XVIII Junii MDXXV.

224.

Episc. Tridentin. Clementi VII.

(Epist. princ. III. fogl. 171.)

(22. Junii 1525.)

Beatissime Pater et Domine colendissime, post beatorum pedum oscula humilimam commendationem et servitutis meae oblationem.

Quum Vestra Beatitudo dubio procul sit a diversis admonita de progressionibus furentium rusticorum Germaniae, et quod illorum rabies indies extensa, modo hanc, modo illam regionem pervagatur, nihil, ubi saevire coepit, intactum, nihil non contaminatum esse sinens, et idem postremo non nihil visum fuisse in hac patria, ut usque in presentia, nemo possit sibi promittere de commotionibus istis, quem exitum sint sortiturae, etiam quod de illis componendis iugiter opera navetur; non putavi ideo fore necessarium, quod Vestram Beatitudinem horum omnium haud ignaram ego pluribus obtunderem, praecipue quod si singula vellem recensere, citius me tempus et carta deficeret, quam omnia verbis consequi possem, sed et eiusmodi essent, que Vestra Sanctitas sic teterrima et nephandissima audire perhorresceret; verum equidem hoc silentio praetereundum minime duxi, quanquam nec hoc ipsam plane lateat, quod omne istorum studium, cura et conatus est, ut quosque sacris initiatos, et ipsam denique ecclesiasticam dignitatem deleant et evertant, et siquid reliquiarum illius superfuerit, id totum pendeat ab ipsorum manu, vel alioquin, si qui praelatorum contendunt se et sua tueri, illis necesse sit conditiones turpissimas acceptare, et auditu indignissimas, id quod plerisque per Germaniam iam contigisse certum est. Ego autem per hoc tempus quo coepit haec labes erumpere, et ad

hos usque fines serpere, nunquam cessavi quin omnium maxime contenderem, apud Serenissimum Principem, tam literis frequentissimis, quam et crebris nunctiis, ut Suae Serenitatis animum pro defensione nominis ecclesiastici inviolabilem et inplacabilem redderem, ne quid decedere pateretur de sua erga sedem Apostolicam devotione solita, et insigni erga religionem christianam pietate, etiam si vi et armis negocium conficiendum videretur; sed neque me frustra laborare crediderim, quum sponte currenti calcaria addiderim, et quacunque ratione potui, quoscumque labores et vigilias meas ad hos tumultus sedandos contuli, ut mihi videre videar presentiam meam inter haec confinia nonnihil commodi usque in presentiarum attulisse. Verum si praeter opinionem meam, quod Deus Optimus Maximusque prohibeat, res aliter cederet (quantum ad me attinet) decrevi, quecunque dura, gravia, et aspera prius sufferre, quam ad iniqua vel turpia perduci, neque facile committam ut quippiam ex me audiatur acceptatum, quod vel vestrae Beatitudini molestum esse possit, vel me parum decuisse videatur; arbitratus, quod in omni mea fortuna, et prospera et adversa, ipsa me non sit derelictura pro ea clementia et humanitate qua singulos sui et Sedis Apost^cae^ studiosos semper est prosecuta; cui me et Ecclesiam hanc suam Tridentinam vehementer commendo.

Ex Tridento die XXII^a^ Junii Anno Domini XXV^to^.

Hum. Creatura
B. Episcopus Trident.

225.

Episcopus Wratislaviensis Clementi VII.

(Ep. princ. III. fol. 179.)

(28. Junii 1525.)

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater ac Domine, Domine clementissime. Post devota beatorum pedum oscula, humillimam sui ipsius commendationem. Clementissime Domine. Quamvis erumnas et calamitates Ecclesiae ac cleri mei, immo Sanctae Sedis Apostolicae et relligionis contemptum his in finibus totiens iam deploraverim totiensque Sanctitati Vestrae,

simul ac divae memoriae precessoribus suis conquestus sim, ut tediosum putem easdem querelas iterare, cogit tamen me summa necessitas, cogit et iustae obedientiae debitum, quo Sanctitati Vestrae lubens volensque addictus sum, iterum eidem Sanctitati Vestrae quomodo res fidei et relligionis ex perditissimo Lutheranismo in diocesi mea habeat, brevibus enarrare. Nefanda igitur illa secta Lutheranorum ex vicinio Misnae, ubi hoc monstrum Wittenbergae primum originem cepit, hanc diocesim meam ita invasit, ut quod isthic litteris proditum est, hic moribus vitaque referatur. Nam instituuntur et destituuntur passim pro cuiusque libito ceremoniae, ritus, et ordinationes Ecclesiae, divina missae officia alio atque alio canone nunc tenentur, nunc contra omnino abrogantur; sacramenta denique ipsa eaque omnia in exstremum abeunt contemptum. Quot capita, tot fides et relligiones, cui proximum est, ut mihi cleroque meo, quicquid antea decimarum, censuum, et iurium ecclesiasticorum ex pia fundacione annuatim cessit, nunc superbe et violenter denegetur, planeque pendeatur nihil. Et tametsi ego ab initio statim non cessavi, hisce erroribus, apud Maiestatem Regiam et remedia querere; tantum tamen Suae Maiestatis christianissima mandata momenti pensique habuerunt, ut plane profuerint nihil; adeo obedientia et veri rectique racio nulla. Quumque non desistam dies noctesque pro mea in Sanctitatem Vestram, et Sacram Romanam Ecclesiam fide et observancia, perfidie illorum nunc legacionibus, nunc profectionibus, aliisque id genus quibuscumque possum modis reluctari neque corpori, neque facultati meae quantulecumque parcere; licet hactenus minus, quam voluerim, consequi potuerim; ut tamen illi, quod reliquum erat virium infringerent conspiratione nuper clanculum inita sedis meae Episcopalis aream et plusquam dimidium primariae civitatis incendio furtim suggesto funditus perdiderunt; conantes his aliisque artibus tandem castra, oppida, et terras ecclesiae Wratislaviensis in ditionem suam redigere, ac, ut nuper in Prussia contigit prophanare hereditate possidenda. Coeterum quum hactenus quecumque bona minoris habuerim, quam datam fidem, sancteque factum iuramentum meum, proque debita obediencia adversitates omnes et quascumque calamitates lubens volensque tulerim, vitam etiam ipsam, que vel sola reliqua est, pro Sancta Romana Sede effundere para-

tior sum, quam unquam eorum perfidiae subscribere, sicuti Reverendissimo Domino Cardinali Campegio in Hungaria Sanctitatis Vestrae Legato, de studio, diligentia et opera mea hoc in negocio adhibitis, lacius constat; supplico itaque Sanctitati Vestrae, quanta possum humilitate, Sanctitas Vestra dignetur tandem clementi paternae pietatis oculo hanc diocesim meam, immo suam benigniter respicere. Nam eo res nondum venit, ut de restauranda religione spes omnis ablata sit, racionesque opportunas huius amplae dyocesis, Romanae Sedi retinendae mature inire antequam errores hii in vicina regna Hungariae Bohemiae Poloniae et caetera serpant posthac nunquam extinguendi. Ob id enim Sanctitatis Vestrae magnopere interesse videretur, quam primum huic malo dum recens adhuc est obviam ire. Id quod pro debito meo Sanctitatem Vestram iterum officiose nolui celare. Sanctitati Vestrae perinde ac clementissimo Domino meo me devotissimam euiusdem creaturam humillime commendo.

Dat. Otmuchaw die Vigesima octava Mensis Junii Anno Domini MDXXV.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae.

Devotissima Creatura
Iacobus Episcopus Vratislaviensis.

226.

Episcopus Tridentinus Clementi VII.

(Epist. Princ. III. 185.)

(1. Julii 1525.)

Sanctitas Vestra debuit iam accepisse cuiusmodi fuerit responsum quod Serenissimus princeps declaravit popularibus huius Comitatus super querellis et peticionibus eorundem, quo quidem plane colligere licet eum esse quem vestrae Beatitudini saepius testatus sum principem religiosum iustum et honestum simul et catholicum ordinis et dignitatis ecclesiasticae defensorem. In quo negocio quicquid ego fecerim quidve pro virili mea facere contendo, parum convenit quod id ipsa ex me cognoscat, alios quam me relatores habitura ...

Ex Tridento 1. Julii 1525.

227.

Rorarius Sadoleto.

(Varior. ad Clem. II. 47.)

(10. Julii 1525.)

Le mie ultime sono state de III. Dopoi se hebe nova chel Trietestainer essendo andato cum quelli cavalli scrisse per altre mie in un paesse fra Stiria et Carinthia qual se dimanda Inderslamyng, li villani de Saltzpurch li andorno la nocte et trovorno le scolte imbriagi et il resto in leto, et hanno ammazati 200 da cavalo fra li qualli li sono 59 nobili et el Trietestainer preso, ferito in una gamba et molti altri presi. Al presente intendo che pur le gente de la liga vadino a soccorer Salzpurch et che già deveno esser su quel de Baviera et che li va etiam Zorzi Fransperger cum III mila fanti, et intendo chel principe ha revocati li sui nuncii havea appresso quelli de Salzpurch per esser anchor lui de la Liga et dubitando che intendendo quelli de Salzpurch el venir de la gente non li facessero dispiazer.

Li villani sopra el lago de Constanza obsidiavano una terra del principe dimandata Sel et Marchsit, li è andato in soccorso et ha reducto li villani che se li han dati a discretione, de li qualli ne ha cavato XVI che sono stati li capi et li farâ taliar la testa, de sorte che ne havemo sempre una bona et una trista. Qui se expecta la ultima resposta de questi Stati et per tal causa el Principe ha differita la sua andata a Coupaier fin a li XVIII. In Hinspruch die X Julii MDXXV.

228.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 109.)

(10. Julii 1525.)

... De le cose de Germania penso che de Inspruck N. S. sia pienamente informato: trovandomi in Labaco da lò

Episcopo fui certificato che quelli tumulti in Stiria erano pur acquetati et che li villani havevano dato pregioni XX. de li suoi capi et dui principali furon impalati, li altri anchora stavano in pregione, et examinati deponevano loro dissegno essere di destruere in tutto lordine ecclesiastico, et poi dare leggi et imponere censi alli Nobili et superiori, qui si reluctassent alloro destructione anchora pensavano armarsi, et tutto ridure al vivere de Svizeri.

In via et qui è stato detto che li villani di Saltzpurg, che assediavano il Cardinale ne la roccha l' haveano ottenuta et preso et ammazatolo et ruinato la fortezza; ma per homo che alli III partite di là se intende non esser vero.

Dal detto Episcopo Labacense, quale è persona dassai et molto amata, intesi ancho che benchè quelli Villani fussero achetati et che al presente di loro non fusse da temere, che pur tutto pendeva da la conclusione che si farebbe nel contato de Tirolo et mostrava dubitare assai che quelli Villani non sforzassino il Principe ad multa indigna et mala contra fidem et ordinem ecclesiasticum, havendo già dimandato che nel trattare di queste cose con sua Serenità penitus excluderentur Ecclesiastici, li quali soleano essere in primo ordine. El Principe per meglio prevalersi contra di loro havea procurato che tutte le altre soe patrie mandassimo oratori in Inspruck a suadere, che non urgerent eum a cose non convenienti aut illegittime; non so quello sarà seguito. Quello contado de Tirolo è molto forte et hanno uno ordine tra loro, che ad ogni impresa mandino prima quattro mila huomini, poi Sedicimila, et bisognando ponno mettere in armi et mandare fino a Trentaquattromila persone, et è già tempo, che nutano et vacillano per la propinquità che hanno con Elvetii. Deus bene vertat . . . .

. . . .

Venetiis X. Julii MDXXV.

229.

Rorarius Sadoleto.

(Varior. ad Clem. II. 49.)

(11. Julii 1525.)

Non ho al presente altro che scriver a V. S. R^ma^ se non che 'l Principe è molto sollicitato a partir per Coupaier et vorrà partir a li XIV; pur penso restarà fino a li XVII. Lassa qui quatro per nome suo e li nobili octo, de vilani XVI li quali habbiano a tractar insieme la conclusion de questa dieta; et secondo tractavano che habiano dar aviso a sua serenità. Me rencresce molto che la partita sia senza haver facto prima conclusione e dubito molto de qualche gran desordene in absentia de Sua Ser^tà^. Pur non si ha possuto nè si pole far altramente, che anche il componer degli Algoviensi molto importa. In Hinspruch die XI Julii MDXXV.

230.

Ferdinandus Arch. Austriae Clementi VII.

(Armar. XI. Caps. I. N. 94.)

(11. Julii 1525.)

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater et Domine ecc.

Subsidium descriptorum viginti Millium aureorum, quod Beatitudo Vestra pro suo in Nos paterno amore adiuvandas maximas necessitates, de quibus tum admonebatur, hic solvendum demandavit et postea Romae per eam reddendum recepit, nec dum solutum est. Cum autem pro his popularibus tumultibus tempestatibusque sedandis tranquillitatique restituendis multo maxima a me erogata sit pecuniarum summa, cum pro ordinario Milite, quem Svevici foederis ratione, tum peculiari meo exercitu sustentando, quem in equitibus circiter Duo Mille, et Peditibus circiter octo mille Viros, fiducia prestandi huius sui subsidii collegeram, et nunc sustento; neque minori sumptu privata Res mea, quae proximis his diebus hoc cepit

flagrare incendio, stabilienda veniat ne concidat omnino in apertum Reipublice Christiane malum, cogor undique corradere es, quo si non emergam, quod tandem concedat Deus, saltem sublevem et subfulciam notissimas meas difficultates. Itaque supplico Beatitudini Vestre ut summam prefatam si nondum esset demandata, Nobis per Nummularios Fuccarei Banci solvendam iubeat sine cunctatione. Quandoquidem non desisto inire quamcumque rationem, qua liceat in his periculosissimis Decumanisque fluctibus cadenti succurrere Sacerdotio, a quo si, neglecta pietate, iniquior esse velim, haud diu aberit exitium. Sed privati oblitus commodi, hactenus pro adserenda Relligione et conservanda Ecclesiastica re nihil non a me collatum est, quod potui. Neque tam gravibus periculis, donec extincta essent, cessarem me obiicere si soli mihi responderent pares illis sumptus, quos supra vires feci, adeo ut nisi aliunde veniat, auxilium pecuniarum tandem receptui canam oporteat, sicut latius cum Sanctitate Vestra meo nomine Consiliarius meus Magister Petrus de Salamanca aget, cui fidem prestare dignetur. Et felicissime valeat.

Dat. Insprugg. Die undecima Mensis Julii, Anno Domini MDXXVto.

Eiusdem Sanctitatis Vestrae

Humilis et obsequens filius
Ferdinandus Archidux Austriae.

231.

Clemens VII. Archiduci Austriae.

(**Clem. VII. Epist. ad principes per Sadoletum scriptae fol. 184.**)

(11. Julii 1525.)

Dilecte fili. Accepimus exemplum responsionum quas Nobilitas tua prudentissime ac consideratissime tumultuantibus suis popularibus reddidit, quae nobis dignissimae visae sunt ea virtute cuius in te opinionem summam semper habuimus; neque nobis solum sed et Ven. fratribus nostris in quorum consistorio lectae fuerunt: Itaque de iis et a nobis et ab illis tibi habentur gratiae teque hortamur quamquam currentem, ut

pergere ad sedationem illiusmodi plebium salva ubique tua et divinarum imprimis legum dignitate velis, ac saepe a majoribus tuis usurpatam conservandae auctoritatis ecclesiasticae gloriam amplificare sicut est proprium virtutis et sapientiae tuae. Nos quae tibi polliciti sumus subsidia ut expediamus nihil praetermittimus diligentiae; sed est in exigendo aliqua difficultas que tamen nec fidem nostram nec amorem moratura est. Quod etiam ex dil. fi. Petro Salamanca actori hic tuo intelligere poteris.

Datum Romae etc.

Die XI Julii MDXXV Anno secundo.

232.

Episc. Tridentinus Clementi VII.

Epist. princ. III. fogl. 193.

(16. Julii 1525.)

Beatissime Pater et Domine Colendissime post beatorum pedum oscula humillimam commendationem et servitutis ac obsequiorum meorum oblationem. Hortatur me suis de quinta huius Sanctitas Vestra ut quam antehac, operam et diligentiam navavi pro statu et honore ordinis sacerdotalis ab ea ne cessem; hoc autem tametsi pro virili mea diligenter curavi quocies potui, et occasio mihi fuit oblata, idem in posterum magis atque magis curare contendam, non solum quod in eo videam agi de communi Ecclesiae statu servando incolumi, verum etiam quod id Vestrae Beatitudini gratissimum esse cognoscam cuius votis, ut par est, tenacissime semper mihi satisfaciendum esse constitui. Mihi autem gloriari non licet, si quid per elapsum vel laboris sumpsi, vel diligentiae non praetermisi, in hoc ipso negocio, sicut ab initio aspero, ita iam aliquanto remisso, ut debeam me eo loci positum esse, ubi non tam de mea re ageretur, verum etiam unde malum hoc longe lateque patere et pervagare potuisset, nisi se quis pincipiis obicem fecisset: nec ideo minus provintiam duriorem esse putavi, quod iam antea exhaustus, et nonnihil gravatus essem, omnia levia esse duxi, si modo consulerem, et ipse pro virili iuvassem tumultus

istos si non omnino sedari, saltem suspendi, donec melior ratio iniretur huius ignis restinguendi gratia; quod me, gratia Dei, adsecuturum spero, si vestra Beatitudo alioquin Serenissimi Principis Archiducis Austriae vota, et deliberationem eius adiuverit; quum enim totus propensus sit, et accensus, pro tuendo Sedis Apostolicae honore, totiusque sacerdotalis ordinis comodis adaugendis, nullo sane eget admonitore, vel sollicitatore, tamen videndum est, ne modus eidem deficiat rerum conficiendarum; quare Beatitudinem Vestram recte fecisse arbitror quod Suae Serenitati subsidium pecuniarum mittendum duxerit, quippe quod ita futurum reor, ut idem Princeps, auxiliis suis adiutus, prius non sit provintiam deserturus, quam si Domino annuente cuncta composuerit, et transegerit, pro honore et commodo Sedis Apostolicae et Ecclesiasticae dignitatis, quod ego quanto diligentius possum, ut antea curavi, sic curaturus sum, neque hoc solum apud Suam Serenitatem, verum etiam apud Cesaream eandemque Catholicam Maiestatem, ad quam nuper destinatus in oratorem Magister d. Andreas de Burgo me suadente secundum legationis suae prescriptum, hoc imprimis, Suae Serenitatis mandato, est curaturus, quod ad Vestrae Beatitudinis eiusque Sedis Apostolicae defensionem et honorem cedere poterit. Que cursim volui eidem exposuisse, ut non tam fidem et servitutem meam intelligeret pro se paratissimam, quam etiam ne eidem obscurum esset, me omnia potius laturum, quam quippiam acceptaturum, quod vel Sedi Apostolicae sit contrarium, vel dignitatem sacerdotalem dedeceat, cui me his et Ecclesiam suam Tridentinam vehementer et unice commendo.

Ex Tridento XVI°. Julii Anno Domini MDXXV[to].

Eiusdem Vestrae Sanctitatis.

Hum. Creatura
B. Eps. Trident.

233.
Rorarius Sadoleto.
(Varior. ad Clem. II. 51.)
(18. Julii 1525.)

El Ser^mo^ Principe havea deliberato partir de qui ali XVII et andar a Coupaier per accordar li tumulti de Algovia; ma la Liga de Suevia havendo più volte fatto intender a Sua Ser^tà^ che per conto alcuno non voleano accordo, anzi volevano castigar li prefati Algoviensi cum le arme, ultimamente partirno da Ulma et, simulando andar in soccorso de Salzpurch, voltorno a la volta di Chempt et li a una lega se dice habiano morti da VIII mile villani, la qual cossa ha facto sopraseder la partita del Principe. Pur intendo che sua Ser^tà^ ha mandato da li prefati de la Liga a dolerse che habiano assaltato de quelli villani a li qualli haveva promesso de accordarli et ad exhortarli di novo a pace et concordia, et venuta la resposta se spera che fra VI giorni Sua Ser^tà^ anderà a parlamento cum quelli de la Liga et de lì poi se ne andarà in Austria, et se non andarà da quelli de la Liga, andarà de quì de longo in Austria. Le cosse de Salzpurch stano in maggior discordia che mai, nè voleno in alcun conto il Cardinale. Se dice, ma già non scio per certo, che lui habia acceptato in coadiutor il vescovo de Patavia per volersi adiutar cum el favore de li fratelli del Duca di Baviera.

La Dieta de qui non è anchor conclusa; si spera di ben ma non scio che ben possia sperare vedendo il commune desyderar chel sia levato almen il temporale a li Ecclesiastici, nè si pol dir esser altro che 'l Principe, qual cum tutto il core li defende.

Heri sera vene lettere al Principe de la Cesarea Maestà de XIV del passato per le qualle avisa haver deliberata la venuta in Alemagna. In Hinspruch die XVIII. Julii MDXXV.

234.

Ferdinandus Arch. Austriae Clementi VII.

(Epist. Princ. III. 200.)

(20. Julii 1525.)

Enimvero tanto maiores habeo, et etiam agnosco me olim referre debere gratias Beatitudini Vestrae, quod licet eadem multis difficultatibus involuta existat, quibus necesse habet subvenire, summam viginti Millium aureorum, quam nuper promiserat subsidiariam mihi iam assignaverit in Urbe Fuggaris isthic degentibus, quanquam id sic fore non dubitabam. Est enim Apostolicae Sedis (sicut maxime ad eandem spectat si quae alia) fides praecipua et sancta; tamen me non nihil curae coepit, quod Fuggari Augustae eam summam in hunc diem usque ad manus meas nondum deposuerunt, qua si ab eis tam commode in usum meum erogata fuisset, quam propense a Beatitudine Vestra demandata fuit mihi persolvenda esse, certe non parum haec acceleratio profuisset. Nunc autem nescio demirari satis, quod tantisper solutio illa protrahatur, quum Fuggaris de quantitate harum pecuniarum optime cautum fuerit illam eos in alma urbe recuperaturos, nisi forte quae eiusmodi cautio ad me transmissa non sit, in qua re desideramus Consiliarii nostri apud Beatitudinem V. degentis Magistri Petri de Salamanca exactiorem diligentiam. Quicquid tamen causae hanc moram attulit, tametsi per eam incommodatum sit nobis non uno nomine et respectu cogor illam immo debeo sicut admonet Sanctitas Vestra domesticis eius oneribus imputare et necessitatibus, maxime quod per illas sicut in posteriori Brevi, quo declaravit responsiones eas, quae a me tumultuantibus Popularibus meis hic data sunt, dignas sibi fuisse visas. Sanctitas Vestra recipit fidem suam non esse moraturam, quam omni, quo debeo et possum filiali studio et observantia iterum atque iterum rogo, ut praefatam summam, si fieri possit, universam per Fuggaros Augustae assignandam mihi denuo demandet. Et si quae portio restat, celerius iam assignatam etiam universa sequatur, ut maiori cum fructu hoc benefitium Beatitudinis Vestrae accipiam. Equidem non dubito quin Sancta Sedes ista si coram illi liceret perspicere, quae incommoda

feram, quas iniurias accipiam, quas animi molestias devorem, pro conservanda Ecclesiastica dignitate, nihil non opis mihi esset vel suapte collatura, sicut confido ipsam mihi in posterum non defuturam, ubi, quod semper ago, viderit me sine intermissione certare pro Ecclesiastico statu, eius honore conservando, quem adhuc populares, licet seditiones rebellionesque eorum adversus secularem potestatem resederint, vellent esse oppressum. Quorum sententiae, etiam si in speciem blandiri potuisset avaro animo, nunquam accessi, neque mens est accedere, ubi Sancta Sedes ista mihi consilio et auxilio, si quando gravius immineat periculum, in posterum non sit defutura. Quae suas opes poterit neque melius, neque conducibilius expendere, quam sublevandis hiis, qui ecclesiasticam dignitatem tuendam susceperunt synceriter, quorum e numero, si quis est, qui dispendiosum compendium faciat, ego ille sum, qui hac in parte a nemine posse me superari velim, adeo si quod iam antea offitio diminutum est, alias exequare contendam; modo pergat Sanctitas Vestra in paterno suo erga me amore, et offitio, meque pro incolumitate dignitatis suae sedulo agentem omnia, quae in viribus tum Consilii tum substantiae meae sita sunt, non deserat. Et felicissime valeat.

Dat. Inspruckh die XX. Mensis Julii Anno Domini MDXXV[to].

235.

Clemens VII. Duci Lotharingiae.

(Arm. XI. capsa XII. N. 49.)

(23. Julii 1525.)

Gratissimae nobis fuerunt Nobilitatis tuae literae quas dilectus filius Stephanus Rusticus nobis attulit, ipseque apte et prudenter subsecutus est illarum tenorem, tuumque erga nos et hanc Sanctam Sedem animum et observantiam tuamque imprimis in Deum, et Dei fidem sanctissimam pietatem egregiam expressit; quae omnia, etsi nobis multo ante perspecta et cognita fuerant, tamen hac recenti victoria quam adversus Lutheranorum manum omnia humana et divina iura confundentem, divina assistente gratia comparasti, illustrata fuisse nobis iucundissimum accidit, tibique propterea et fortissimis

ac nobilissimis fratribus tuis, qui tibi in ea re summa cum virtute affuerunt, per alias nostras litteras in forma brevis gratulati sumus et in praesentia denuo gratulamur; ac pro ea qua te et universam familiam tuam prosequimur, charitate et affectione, hanc tuam laudem et gloriam nobiscum communem esse ducimus, cumque Tibi a Deo optimo recte factorum omnium remuneratore largissimo pietatis ac fidei tuae in caelo constituta sint praemia sempiterna, in nos quoque ea dona quae ab ipso Deo pro illius immensa clementia et bonitate nobis concessa sunt, quibusque nos parce uti solemus et moderate, tecum ob merita tua liberalius communicare voluimus. Cum itaque in praesentia agatur annus Jubilaei de morte et instituto fe. re. S. R. E. Pontificum predecessorum nostrorum vigesimoquinto quolibet anno celebrari solitus, tibi ac dictis fratribus tuis tuaeque ac illorum, qui habent, uxoribus et utriusque sexus proli tuisque ac illorum veris familiaribus omnibus, necnon omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus oppidi Nancei in quo tu residentiam habes incolis et habitatoribus, ac praeterea quatuor millibus allis in totum tui ac dilecti filii nostri Joannis Cardinalis Lothoringiae caeterorumque fratrum tuorum arbitrio et iudicio communiter vel pro rata parte eligendis, qui fideliter constanterque armis usi religionem christianam pio animo defenderint, ut quattuor ecclesias per te et fratres tuos coniunctim vel divisim pro cuiuslibet voluntate et conscientia deputandas per quindecim continuos vel etiam interpellatos dies devote praeviaque confessione et contritione visitando, ibidemque aliquas orationes devote dicendo, necnon aliquid iuxta cuiuslibet conscientiam et confessoris consilium in alia pia opera erogando ac alias iuxta litterarum super Jubilaeo a nobis editarum tenorem tot et easdem ac illas prorsus similes et plenarias indulgentias ac peccatorum remissiones et Sanctum Jubilaeum consequaris et consequantur, quas et quod consequereris ac consequerentur si basilicas et ecclesias almae urbis nostrae Romae vel extra eam pro indulgentiarum huiusmodi consecutione in litteris nostris deputatas visitares ac visitarent tenore praesentium de omnipotentis Dei misericordia concedimus et indulgemus, non obstantibus litteris praedictis, caeterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romae die XXIII[a] Julii MDXXV.

236.
Epist. Tridentinus Clementi VII.

(Ep. princ. III. 201.)

(23. Julii 1524.)

Quamquam vestra Beatitudo de successu diete provincialis huius comitatus procul dubio per nunctium suum apud serenissimum principem agentem sit admonita, memor tamen eorum que antea de me futura eidem significaveram, putavi presentes meas litteras sibi mittendas esse ut intelligeret ipsum conventum provintialem post diuturnos labores et inter plurimas hinc et inde contentiones, tandem finem habuisse; in quo quanquam summe provinciales contenderint et incessanter enixi fuerint ea consequi per que sacerdotalis dignitas labefactaretur et omnino opprimeretur, omnes tamen eorundem conatus preter quam in quattuor articulis irriti facti sunt; quorum quidem concessio tametsi Sedem Apostolicam gravare et libertatem ecclesiasticam nonnihil supprimere videatur, putaverim in Serenissimum Principem eo consilio et intentione huiusmodi concessisse quod aliquando futurum speret eadem tolli posse et res ad primevum statum, auctoritate consilio studioque vestre sanctitatis accedente, redigendas esse. Verum nunctius meus quem meo nomine in dieta habui antea ex me monitus, ubi hec quattuor rescivit palam attestatus est, adhibitis testibus, sese meo nomine nihil acceptare quod Sedi Apostolice sit indecens et libertati ecclesiastice contrarium, de quo vestram sanctitatem admonendam esse putavi, ut quum antea scripserim me nihil, quantum in me erat, acceptaturum quod durum iniquumve ordini sacerdotali haberi posset, iam intelligeret agentem meum fecisse quod potuit, ne quid tale, consensu meo conclusum videretur. Quum autem his scriptis nondum tamen obsignatis, acceperim litteras a Ser^mo^ Principe, volui copiam earum his adiungere, ut quod de articulis illis quattuor superius scripsi, id ita esse cognosceret . . . Ex Tridento XXIII die Julii MDXXV.

237.

Eckius Clementi VII.

(Pontif. imper. Eckii, Erasmi etc. epistolae; Arm. XXXII. N. 1. fol. 230.)

(25. Julii 1525.)

Post oscula pedum beatorum sui humillimam commendationem. Miror plurimum, Beatissime Pater, quid remoretur vel S. T. vel R^{m}. Cardinalem tituli Sanctorum coronatorum, cur minus subveniatis mihi, subveniatis causae fidei, subveniatis honori Sedis Apostolicae, cum inquisitionis onus michi a Leone X fe. re. iniunctum iussu Sedis Apostolicae legati R^{mi} Domini Cardinalis de Campegiis contra Wolfgangum Woeckinger luteranum exercuerim. Rogo obnixius supplex S. V. dignetur tueri facta mea secundum iussionem Domini legati potius quam favere fratri haeretici, cui ille in fraudem cessit ne is legis poena affici possit. Non scio plus dicere, satis superque aliis litteris indicavi mala et scandala quae oriuntur ex illa impeditione et quis est contemptus Se. Ap.

Seditionem rusticorum motam dudum significavi litteris meis S. T.; quae semper incrudescit, licet in multis locis sit sedata, uti pro mea in Sede Apostolica et S. T. observantia in scheda hic conscripta transmitto; diligentius enim quoad fieri potuit omnia consignavi: restituti sunt Episcopi Argentinensis, Spirensis, Herbipolensis, et Bambergensis, sed adhuc spoliati sunt Brixinensis, Tridentinus, et Salzburgensis Cardinalis obsidetur in arce. Princeps meus Wilhelmus misit fratrem suum ducem Ludovicum ad componendum negocium inter Cardinalem et subditos et adhuc parva spes est pacis, quoniam nolunt subditi pacem acceptare, nisi cardinalis cedat regimini, et publice fatentur incolas comitatus Tyrolii eis promisisse auxilium. Non desunt qui suspectum habeant archiducem velut dominia Cardinalis et Episcoporum reppetentem, sicut et Fiessen oppidum Episcopi Augustani occupavit, quod vix credo. Miserrima res Germaniae et iusta Dei ira; per rusticos passim monasteria diruta, ecclesiae prophanatae, sanctorum reliquiae ludibrio habitae, abiectum venerabile sacramentum Eucharistiae, clerus spoliatus. In civitatibus imperialibus, ubi non sunt seditiones, augentur tamen haereses, divina cessant officia, monachi et

moniales partim ultro, partim coacti relinquunt monasteria, nubent et nubentur, et nolentes consentire et habitum reiicere expelluntur.

Item Nerobergae occupavit senatus monasteria S. Aegidii Benedictinum Cartusiense, Carmelitarum, Augustinianum. Et Cligental, Pillereut et Gerundeln ac fratrum Teutonicorum S. Clarae, S. Catharinae, interdixerunt his primo audientiam confessionis deinde predicationem ad populum, tertio missarum celebrationem, quarto omnia divina officia. Iam instant ut habitum deponant, se fuisse in statu damnationis litteris patentibus recognoscant et monasteria senatui dispensanda eleemosina tradant, cum omnibus redditibus. Minores in hunc diem restiterunt, Predicatores mali consenserunt, boni autem clandestine ad Bavariam fugerunt. Hoc et in multis aliis fit civitatibus imperialibus. Porro incipiunt ferme in omnibus civitatibus compellere Clerum et religiosos ut renunciata libertate ecclesiastica nulla gaudeant immunitate, sed omnia onera ferant civilia tempore pacis et belli sicut alli laici. Ita factum est Argentinae, Constantiae, Basileae, Spirae, Moguntiae, Nerobergae, Wittemburgi, Wimpinae, Haillbrunni, Ratisponae, et ut ferunt Onoltzpachii et pluribus aliis locis. Sacerdotibus eis adversantibus libenter veniam dant abeundi cum medietate fructuum praebendae, reliquam medietatem servant non pro Missis supplendis, quas nullas fieri permittunt, sed in commune reponunt pro eleemosina ut dicunt, et ita de redditibus ecclesiasticis habent ferme 12000 florenos pro eleemosinis, alii estimant ad 15000 floren. Principes vero aliqui etsi pro viribus resistant seditioni rusticorum, aliqui tamen monasteria spoliant, aliqui ordinationes haereticorum in divinis officiis acceptant, monachos e monasteriis pellunt, sacerdotibus uxores in facie Ecclesiae permittunt ducere, aliqui subditis permiserunt ne deinceps minores decimas et personales dare cogantur et tamen de suis oneribus nihil remittunt; nulla reverentia fit clero episcopis et potestati clavium; in curiis principum nec nominare quis audeat excommunicationem; nullae fiunt amplius oblationes ad altare; praecationes pro mortuis rarissimae; mortuis praebendatis, in multis oppidis beneficium non conferunt alteri sed extinguunt, et quod est horribilius maior pars hominum in Augusta, Argentina, Turego et aliis non credunt verum Corpus Christi esse sub Sacramento sed solum panem et vinum. Illi iam nihil curant de mutatione Missae

sed de exstinguenda Missa omnino conantur; quod si liga Svevorum non esset actum esset de Episcopis, monasteriis, principibus, atque adeo de tota nobilitate; licet ego non timeam rusticos aeque ac principes et ipsas civitates imperiales; et si ad odium manifestum pervenerint principes et civitates imperiales Vae Vae Germaniae, nam hostis humani generis pulchre hoc virus seminat et quotidie auget, cum civitates per se ob divitias opes et potentiam nobilitati sint suspectae; accedit iam aliud malum quod apud rusticos cesos invenerunt tormenta bellica civitatum, et passim rustici hostes ligae declarati ingrediebantur civitates imperiales, ementes ibi arma, bombardas et alia et forte consilia accipientes a civibus. Publice etiam fatentur rustici in multis locis se seductos esse per predicatores civitatum imperialium, qui eis hanc seditionem persuaserint. Providi saepe hoc malum Germaniae, tantam blasphemiam Deum vindicaturum, licet hoc maximum sit malum nostrum adeo obstinatos esse multitudinis animos ut non credant tantam plagam provenire propter haereses et blasphemias nostras sed adhuc stultius referunt in fata et stellarum motum. O curas hominum! o quantum in rebus inane! Hinc aliis litteris supplicaveram S. T. Beatissime Pater ut mihi pauperi provideretur, ut possem in extera terra consulere tranquillitati studiorum meorum; taedet enim me patriae, nauseo ferme ad ipsum nomen Germaniae, cum singulis diebus cogor audire haereses, seditiones, sacrilegia, blasphemias, schismata et omnis generis impietates, et adhuc bene spero mihi subveniri a S. T. pientissimo Patre. Hoc tamen fateor ingenue Bavariam et eam solam ex tota superiori Germania fuisse et esse immunem ab hac seditionum peste nihilque mali passum esse clerum in his tumultibus, eo dempto quod monasterium Steingaden Algoys vicinum ab eis incineratum est. Magna fuit cura principibus nostris ut patriam ex hoc morbo praeservarent, qui ex omnibus partibus irruptionem minabatur, gravissimum tamen charitativum subsidium Clerus tribuit ducibus; medietatem enim pensionum et absentiarum acceperunt et tertiam partem de residentibus, quantum scilicet absentiae potuissent dare; tricessimus porro florenus datus est de bonis mobilibus et immobilibus. Ego pauperculus 1 flor. pro me, quinquaginta de una pensione et duodecim flor. pro domo et suppellectili mea dare coactus sum. At haec laevia si et in

posterum securi essemus et non nobis accideret quod Aegyptiis ut quod grando reliquerit, locusta devoret; nam etsi principum auspiciis haeresis Lutheri Bavariam non infecerit, mirum tamen quomodo in his quae pertinent ad clerum mire frigent nostri. Ecclesia quae prius valuit cc flor. iam vix valet c. et semper timendum ne Principes nostri ab aliis seducantur ut etiam extinguant minores decimas. Hactenus nihil passi sunt immutari, clinodia ex monasteriis et infirmioribus oppidis ad tutiora loca curarunt deponi. Tabesco tamen de modicitate fidei in nostris et impietate haeretica in adversariis; secedam ego iam (tempusculum suffuraturus) ad inferiorem Germaniam et Angliam; videbo an sit ullus locus tranquillitati studiorum competens, et si quid exploravero S. T. humillissimis precibus pulsabo ut me adiuvet; cum tam liberalis sit Sed. Ap. in ecclesiis et dignitatibus conferendis etiam aliquando ingratis, cur desperarem eam futuram liberalem in Eckium qui tot pericula subiit, tot labores pertulit pro fide orthodoxa, pro honore Sedis Apostolicae? De aliis remitto me ad schedam affixam quam summa diligentia per capita consignavi, undecumque ex cancellariis et ex exercitu certitudinem habere potui. Dignetur S. T. Pontifex Max. imo D. Datario committere ut provisus per me in officio inquisitionis non impediatur ab aliquo in assecutione praebendae sicut Eberhardus Ferber procurator meus pleniter eum informavit. Deinceps et hoc D. Datario S. T. committere dignetur ut curam gerat Eckio providendi qui tot millibus providit. In summa non est mihi spes clerum ex integro restitui ad pristinam dignitatem, nisi adventu Caesaris licet Nuncii Apostolici plurima possint facere apud ligam et principes sicut proximis litteris S. T. plenissime informaveram, quid facto opus esset licet forte prudentiori consilio quae suaseram omittantur. D. O. M. dignetur conservare S. T. et eam aspirando praeveniat et adiuvando prosequatur ad omnia quae faciunt ad honorem nominis sui et haeresum et blasphemiarum extirpationem. Me supplicem commendatum habeat S. T.

Ingolstadii XXV. Julii Anno gratiae MDXXV.

Eckius.

238.

Eckius: Fructus germinis Lutheri.

(Pontif. Imperator. Eckii etc. epistolae. — Arch. vatic. Armar. XXXII Vol. 1 fol. 233 et seq.)

Anno Domini MDXXIV surrexerunt rustici subditi comitis de Hupfen circa duo oppida eius Stielingen et Tumgen, adeo ut castramentarentur armata manu circa nemus Hercinium; tandem post plures attentatas concordias (nam Schaffhusensium concordiam factam et acceptatam rustici denuo fregerunt) cum plurium nobilium subditi et Praelatorum se rusticis coniunxissent, collecto magno equitatu rustici aequas conditiones accepere pacis et sic res fuit sedata.

Anno Dni MDXXV in ipso Januario subditi abbatis Campidunensis similem querelam moverunt, unde missi a foedere Svevorum qui causam audirent, eam reliquere imperfectam.

Unde mox rustici vicini in Algoia episcopi Augustensis etiam rebellarunt, qui nollentes agere cum aliquo consiliario petierunt adventum Episcopi in propria persona, qui ad eos venit in Oberndorff et Steten, sed re infecta coactus fuit discedere in Februario.

Sexta Februarii collecti sunt rustici armati supra Ulmam duobus miliaribus in Baleringen et Schimelberg ad quatuor millium, neminem tamen offenderunt sed certos conceperunt articulos pro Evangelio et eorum libertate contra Sacerdotes, Praelatos et nobiles cum quibus saepe liga frustra agit.

Quinta Martii rebellarunt rustici in Keisthnaro Mindeltab, Ilertal, Chamlachtal, Ginztal, Rottal, in Marchionatu Burgaro circa lacum circa Waltser, et Wuntzach adeo quod in tribus septimanis orti fuerunt octo cunei Rusticorum et potenter in Suevis ex opposito Bavariae prope Schengaro ut duces Bavariae timerent, ne irrumperent in ducatum eorum et praesidia imposuerunt.

Obtinuerunt multa oppida Luikirch, Vangen, Markdorff, Morspurg, Waltsere, Wurtzach, Leiphein, Gintzburg etc.

Quarta Aprilis. Exercitus ligae fugato Wirtembergiorum Ducem supervenit et VIIIm. rusticorum ex utraque parte Danubii prope Leiphaim constitutos invasit et ad tria millia occidit, septingenti aut plures submersi sunt, plurimi capti, Ple-

banus in Leiphaim suscitator huius mali Joannes Jacobus cap tus cum septem aliis intra Leipheim et Gintzburg decollatus est.

Duodecima Aprilis Liga volens invadere rusticos in Baltzinglf eos in fugam convertit, quos prope Wurtzach comprehensos 15000 occidit et totidem in oppido ad gratiam et poenam suscepit captivos. 14 Aprilis.

Decimaquinta Aprilis progressus exercitus ad Wingarten volebat potentem illum cuneum invadere, ubi erant 13,000 rusticorum selectissimos (*sic*) et iam ad congressum utrinque parati. 16 Aprilis interventu autem senatus uberlingensis et ravenspurgensis ac comitis Hugonis de Montfort res est composita tam inter Algoios quam vicinos lacui, literae concordiae erectae et sigillatae 22 Aprilis.

Octava Aprilis rebellarunt rustici in valle Winsperg et comite Ludovico Helfenricho de Helfenstein illic ... rustici eum per dolum occiderunt cum XXIII nobilibus 16 Aprilis. Tunc ubique rebellarunt Rustici Wirtembergae per vigintiduo oppida.

Decimanona Aprilis. Ludovicus Dux Bavariae cuius consiliis nolebant Algoici Collimitii acquiscere ut obedirent Episcopo Augustensi et nobilibus Domnis eorum unde exivit Algei cum octingentis equitibus et 4000 peditibus et abegit pecora multa, quibus minantibus irruptionem in Bavariam trigesima Aprilis iterum exiens incendit castellum Bucheln cum castro et quinque aliis villis magnis. Nona Maii 116 interfecit ex rusticis et plures coepit. 23 Maii factae sunt induciae.

Vigesimasecunda rebellarunt rustici Episcopo Eistettensi in Obermessig et occupaverunt oppidum Greding cum castro Messing et convenerunt ad 5000; sollicitarunt passim alios pagos nolentes seditioni consentire; supervenit prima Maii Fridericus Comes Palatinus cum quingentis equitibus et a Duce Wilhelmo Baccaro mittebantur 180 equites et 300 Bohemi bombardarii. Rustici timore percussi dilapsi sunt. XIII ergo decollatis et aliquot captis, pagi omnes se denuo subdiderunt episcopo, tribus ex illis captis postea Ingolstadii decollati qui litteras hortatorias seditionis a Rusticis in villas ducis portaverant mulcta reservata Episcopo.

Vigesimaquarta Martii Rustici in Rhetia circa Norlingam rebellarunt Comitibus et Praelatis ac Nobilibus, sed caesis rusticis prope Ulmam cum eis nunciaretur adventus ligae ad propria redierunt, quibus nimium confisi sunt domini eorum dimittentes

eos intactos. Decimanona Aprilis denuo rebellant cum vicinis subditis Marchionis Brandeburgensis, oppidum Otingen invadunt et comitem Ludovicum iuniorem incautum capiunt, monasteria diripiunt et incendunt et dum sunt in itinere ad Heidenhem monasterium diripiendum adest Marchionis equitatus sexcentorum equitum cum comitibus aliis de Otingen et cum parvo pedite; invadit rusticos primum tormentis mox lanceis. Rustici non potentes fere equites fugerunt; ex 11000 rusticis ceciderunt 2500, aliquot capti, aliquot in una villa incendio perierunt, plures postea deprehensi decollati sunt. Data occasione qui aufugerant denuo ignem excitant et rusticos subiectos Proposito et Capitulo Elwangensi ad rebellionem excitant, subito duo castra occupant et oppidum Elwang et omnia depraedantur. Non defuere ex Canonicis qui Rusticos ad tantum nephas iuvarent. Juniores comites Palatini ex Neuburgo contractis copiis vicinis Episcopi Augustensis et Willhelmi ducis Bavariae rusticos invadunt incautos ante oppidum Elwang et 436 occisis plurimos capiunt et ex eis XXIII decollari iubent ac civitatem et castra capitulo recuperant. Actum 18 Maii.

Pacatis rusticis in Algoia et circa lacum Liga in Wirtembergum properat Tibingam versus. Rustici hoc rescientes, meliores in auxilium mittunt caetui prope Haerembergam constituto; quod oppidum insultu quinto tandem rustici ceperunt. Erant rusticorum 13000 virorum fortium ut eis videbatur a quorum conspectu iam regimen imperiale ab Eselinga et regimen Archiducale a Stugardia fugerat: in reliquis caetibus multo plures erant, sed passim collectitia plebs, bello minus apta. Cum igitur magno clamore semper petierant Ligae adventum ut manus consererent, exercitu approximante inter nemora recedunt; quibus 400 equites pro remoratione immissi sunt, qui tandem approximante exercitu non expectatis aliis irruerunt in rusticos et passim cesi sunt ac deinde iussu ligae numerati 6465. Acta cedes XII Maii inter Beblingen et Scudelfing; pluribus postea per singula oppida et pagos decollatis, et ipsis pecunia mulctatis, omnia devenerunt in potestatem ligae demptis oppidis quae contigua erant Palatinatui.

Liga deinde ducit exercitum in Vallem Weinsperg, ubi sontes fere omnes iam aufugerant ad rusticos francos Wirtzburgi. Itaque XXI Mai oppidum exustum est cum quinque villis; quadringenti ferme rustici inventi occisi sunt.

Decreverat liga alia oppida versus Franconiam percurrere, et Herbipolensi arci obsessae subvenire, at Palatinus nunciavit ut sibi occurreret ad Brusellam ubi coniunctis copiis ad Herbipolim convolarent, sic consuluit episcopus Herbipolensis qui fugerat ad Palatinum. Itaque XXIII Maii Palatinus egressus et episcopus Treverensis cum nepote Otthone Henrico et Episcopo Herbipolensi cum mille equitibus et 2000 peditibus pagos et oppida recepit in Pruram, Rotemburg Mals (incendit) Kiszlau et 29 decollatis eos 40mil. florenis mulctavit; XXV Maii accepit Brusellam in gratiam et paenam, unde mox XL cepit et novem decollari fecit. XXVIII Maii recepit oppidum Neckersulm ad gratiam et iusticiam, imperavit eis mox ut turres oppidi diruerent et LXVI nominatos presentarent ex quibus XI mox in oppido decollavit, quorum duo fuerunt sacerdotes lutherani, unus monachus apostata.

In fine Aprilis rebellarunt monachi Marchionis Badensis, qui habito cum eis colloquio eos sedavit, his pactis ut permittat Evangelium libere et pure praedicari, quod permittat Clero uxores, quod omnia monasteria patiatur dirui tam opulenta quam mendicantium cum aliis multis observantiae christianae adversis; quae Marchio ille omnia dicitur annuisse; is loco Ferdinandi hoc anno fuit locum tenens Imperatoris in regimine: quale caput tale membrorum regimen.

Decima Aprilis. Albertus Marchio Brandeburgensis Magister militum S. Mariae in Prussia Lutheranissimus ordinem deponit, homagium praestat Regi Poloniae, in Ducem ab eo creatur Montisregalis et omnia quae ordo in Prussia habuit in feudum accepit a Rege iure haereditario pro se et tribus fratribus; sicut Joannitae Rhodum, sic Mariani Prussiam (quam armis et sanguine quaesitam CCLXXXXI an. obtinuerunt) amiserunt. Augetur haeresis per totam Prussiam et catholici ac Religiosi pelluntur.

In Alsatia superiori et inferiori, ubique rebellant rustici, oppida capiunt, monasteria et arces diruunt, parum abfuit quin Argentinam proditione aliquorum civium occupassent, sed proditione cognita, supplicium sumptum est de proditoribus. Iam iam decursa Rheni ripa dominium Episcopi invadunt et obtinent, minitabundi se vastum regnum et Lotharingiam occupaturos. Antonius vero Dux Lotharingius de eorum insolentia et proposito certior factus, adiuvantibus comitibus et baroni-

bus exercitum parat ex 3500 equitibus et 12,000 peditibus et 18 Maii sub vespera cuneum rusticorum invadit in Hupstein et 4000 ferme interficit. Summo mane ad Zahern contendit distantia unius milliaris (illic est Sedis Argentinensis) Rusticos aggreditur et plus 6000 occidit; eodem die tam proficiscitur exercitus, nam tres supererant cunei, ne se iungerent aut inter paludes vallarent. Nocte agens in Tagstein.

20 Maii ad Tambach festinat et exercitum instruens contra 19000 rusticorum occidit ex eis plus 8000 inter Taubach et Scrowieler; prope erat agger amplissimo fossato timens ne cuneus rusticorum qui prope Selethstadium erat eum preoccuparet, missis paucis equitibus et peditibus cum omnibus Bombardariis suis XXI Maii hunc occupat et ad noningentos rusticos pro custodia aggeris positos occidit, postea in alios cuneos exercitum vertit apud Seletstadium et Orterabergum. In summa ubique in congressu ultra XXII milia rusticorum occidit et ultra 300 decollavit ex captivis.

Thomas Mintzer plebanus in Franchenhausen peior Luthero, quia tenet omnia mala Lutheri, et cum videtur deesse Zuinglio negat Corpus Christi verum esse in hostia; hic Thuringos ad rebellionem parat, concurrunt, arces capiunt, et monasteria ac Ecclesias, et omnia diripiunt. Haec incepta fuerunt Friderico Saxoniae Duce vivo, qui miserabili morbo correptus, dum exercitum in rusticos colligi iubet, moritur 12. Maii. Tunc frater Dux Joennes Saxoniae, Dux Georgius Catholicus Saxoniae Princeps, Ericho, Dux Brunswicensis, et Philippus Lantgravius Hassiae. 19. Maii, prope Franckenhausen Thuringiae oppidum rusticos invadunt, et oppidum capiunt; desiderati sunt rustici 7000, plurimi capti, captus est et Thomas Mintzer a nobili Hesso, qui assatus mirabiliter excruciatus, post multa tormenta, mortuus est, reversus tamen ad Ecclesiam, et omnes errores revocans, et Sanctos Dei invocans. Captus et alius sacerdos Lutheranus cum capitaneo et rusticis, quorum mulieribus promissa est virorum liberatio, si cum baculis sacerdotem et Capitaneum necarent; quod illae impigre executae sunt, et viros suos adeptae Dux Joannes in gratiam recepto Risenach oppido, Doctorem Jacobum Strausz ante aliquot annos ab Archiduce Ferdinando Hallis ob perfidiam Lutheranam expulsum cum aliis septem civibus captis decollari fecit. Commoverant seditionem Rustici etiam in

Altenburgo, et Born, dominio Friderici Saxonis, tamen eo vivo mox fuerunt repressi

Intellexerunt iidem Principes ex Mintzero, et aliis captivis, Capitaneos, et directores huius negocii esse in oppido Imperiale Molhausen, quibus decretum fuerat, omnes nobiles et principes occidere; Itaque XXII Maii tribus ex partibus oppidum obsident. Deus eos fortunet.

Eodem Maio Rustici in Burhonia seditionem movent, et bona Monasterii Fuldensis invadunt: advolat Philippus Lantgravius Hassiae, et seditionis authores capite plectit; fit maior concursus rusticorum, et Lantgravium obsident; quod eius Maschalcus audiens, collecta nobilium manu rusticos fudit, et Dominum liberat; desiderati sunt in ea sede aliquot rustici supra duo millia. — Aliquos alios seditionem molientes absque negocio confecit.

Non quievere per Maium Rustici qut sunt inter Memingen, et Augustam, praelatos et nobiles invadendo, nam et arcem nobilem Stetten Episcopi Augustani exusserunt, (damnum estimatur ad 9000 flor.) Similiter arces eius Schonech et Pfassenhausen exusserunt, Chunrado de Nietheim Castrum Angelherch (ubi Maximilianus Imperator saepe solebat divertere) cum uno alio castro suo, et ipsum captum, et misere tractatum solutis 4000 florenis abire permiserunt.

Incenderunt etiam castrum Minsterhausen Domini Chunradi De Rott, et Monasterium Wispergen incendio absumptum est. Invaserunt, et spoliarunt castrum Siversperg Philippi Philingers, arcem Ronsperg Adae de Stein, arcem Stein, arcem . . . et famatissimam arcem Leibenthan Abbatis Campidonensis spoliarunt, et deinde igne absumpserunt: monasteria, Sacerdotes, Nobiles, et ditiores rustici multa deposuerant in ea arce, quae omnia venerunt in manus rusticorum, extimata est rapina ad 40000 flor. Diepoldus de Stein qui in confinibus habebat trecentos equites, et quingentos pedites defendit Wissenhorn ab irruptione rusticorum, et successivo plurimos rusticos confecit ad 1500, villas aliquas incendit in Valle Rot, similiter Castellum Semetzhausen et magnam Villam Baltshausen, cum pluribus aliis.

Eodem Maio rebellarunt Rustici circa Athesim, et Isack in Comitatu Tyrolis invaserunt Brixinam, et Clerum spoliarunt, et aliquot Monasteria Nevenstifft, Sthlanders, S. Michaelis

domos Teutonicorum in Stertzing, et Botzant, multas etiam arces nobilium spoliaverunt, et in tantam versi sunt furiam, ut cum Episcopi Tridentinus et Brixinensis, non auderent cum Archiduce in Inspruch consistere, clandestina fuga sibi prospexerunt. Rustici conventum fecere in Meran iniussu Archiducis, qui ad sedandum tumultum dietam provincialem indixit 13. Junii ad Inspruch. Deus benevertat, quoniam fama est omnis ad id conspirasse, ut Exangelium pure et libere predicetur, ut predicatores relegati ob haeresim revocentur, ut Ecclesiasticis omnis iurisdictio secularis auferatur, cum pluribus aliis.

Ad finem Maii rebellant Rustici in Saltzburg, et non illatis magnis damnis, dempto monasterio Berchtolde Gaden, quod misere destruxerunt, confestim nobiles et oppidanos in suam traxerunt sententiam, itaque omnes status laici unanimiter Archiepiscopo rebellant: Dux Ludovicus Bavariae mox iussu fratris Wilhelmi ad confinia venit cum sexcentis equitibus, tractare incipit de pace: et bona spes est hanc seditionem sedari, ablatis quibusdam novis gravaminibus per Archiepiscopum Cardinalem nuper adinventis; amisit autem Cardinalis civitatem, omnia oppida, et omnes arces praeter solam Saltzburgen.

Non quievere rustici in Hegoia, et contra quam promiserant, eodem Maio rebellant; Augiam maiorem invadunt, Monasterium spoliant, festinant ad Petersharsen Monasterium, sed a Constantiensibus civibus defensum est: Insultum faciunt in Meinaro domum fratrum Teutonicorum, sed tormentorum iactibus repulsi sunt, et aliquot occisi; commoti alii in duas villas Commendatoris irruentes praedam agere ceperunt, supervenere cives ex Catholico oppido Uberlingen, et rusticos ad restitutionem coegerunt, et sex ex eis ductoribus decollatis coëgerunt alios ad propria redire.

Undecima Aprilis seditio oborta est in dioecesi Bambergensi, et 13. Aprilis aliquas curias canonicorum Bambergae spoliarunt; diu hinc inde fluctuatum est; similis pestis in dioecesi Herbipolensi cepit sensim se erigens usque ad XXIII Aprilis ubi arma corripuere; et oppidis ad se tractis, ambas dioeceses devastarunt, et inestimabile damnum in monasteriis et arcibus, in Ecclesiis, in cleri domibus faciendo, ut totus clerus, et tota nobilitas ad paupertatem redacti sint. Episcopus Bam-

bergensis minus providus omnia amisit, et in potestatem rusticorum venit: Herbipolensis maior consiliis, arcem suam tormentis, et victualibus instruit; praesidium sexcentorum hominum imponit, et ad Palatinum Electorem pro auxilio currit, ligam etiam sollicitans; omnibus autem oppidis et castris, per deditionem in rusticorum potestatem venientibus, civitate etiam Herbipolensi obtenta, arcem arcta obsidione cingunt XXVI millium rusticorum; iuverunt rusticorum furiam, duo ex nobilibus in armis exercitati Getzo de Berlachim et Florianus de Geir; tormenta, et consilia ministravit Georgius (ut dicitur) Comes de Wertheim lutheranus, et vassallus Ecclesiae Herbipolensis.

Confecto itaque negocio per ligam in Wirtenbergiis, exercitum motura erat in Herbipolim, quare Palatinus Elector 23 Maii exivit Heidelbergam cum Archiepiscopo Treverensi Episcopo Herbipolensi, et nepote Duce Ottone Henrico, et 28 Mai convenere ambo exercitus ligae et Palatini ante Nechers ulm — 29 Mai res omnes composuerunt in Neckersulm, et oppidani obedientiam praestiterunt Commendatori fratrum Teutonicorum eorum domini — 30 Maii exercitus ductus ad Nevenstat, et oppido ad gratiam et iustitiam accepto, paucis decollatis, festinatum est eo die ad Oringen oppidum comitum de Alta flamma, quo dum pervenissent oppidum illud receptum est, ut alia; eo autem die mane abierant rustici Otten Welder 8000, et 29 Maii abierant Francones cum eorum Capitaneo Getzone, quare emissi sunt quingenti equites, ad remorandum iter rusticorum, et media nocte totus exercitus subsecutus est XXXI Maii versus Tanberum fluvium: Getzone vero per exploratores intelligente ligae festinationem, nocte a suis aufugit, qui ductore carentes fuga dispersi sunt: Ottenwalden vero iter suum versus Herbibolim continuarunt festinanter. Prima die Junii exercitus ligae traiecit flumen Tanberum, et rustici ab equitibus impediti desperarunt attingere Herbipolim ante congressum: Iam enim viderunt exercitum ligae: quare prope villam Kungshoffen mortem subeunt; ad congressum se parant, secunda Junii exercitus ligae montem invadit a quatuor partibus, rustici non ferentes insultum fugam arripuere, pluribus ad proximum nemus se recipientibus, qui immissis bombardariis, et lancеariis occisi sunt, et fugentes in manus equitum per circuitum nemus obsidentium venerunt; caesi sunt 6300; rusticorum tormenta in Rhedis capta 42. capti rustici

243; ex nostris novem occisi, et unus Capitaneus Treverensis, dum incaute quaerit rusticos in nemore contra iussum Capitaneorum, ab uno ex nostris pro rustico impetitur bombarda, et moritur. Stationem habuit illo die exercitus, et sequente in Kungshoffen: noctibus tamen ambabus equites ad arcem missi sunt, ut ab obsessis intelligant quo in statu sunt omnia. Unde tertia Junii in nocte significarunt 8000 rusticorum exiisse Herbipolim versus Tauberum: quarta Junii intelligens liga prope esse illis occurrit, qui nescientes cesos esse Otten Waldenses quibus suppetias ferre volebant, primo itaque congressu funduntur rustici, et fugiunt: trecenti in proximam arcem nuper ab eis combustam confugiunt et tam pertinaciter se defenderunt, ut eo die non expugnarentur; summo mane tormentis murum fregerunt, et vi irrumpentes milites rusticos omnes ad unum trucidarunt. In toto bello nunquam plus damni suscepit liga, nam quinquaginta ex nostris ante turrim occubuere, plures laci; cognito autem ex captivo rusticos plures in proxima sylva latitare, equitatus sylvam circundat, milites ingrediuntur: ceciderunt in nemore, in turri et congressu ultra quinque millia rusticorum: eo die exercitus Herbipolim obsedit. Treveren. Palatinus, et Herbipolen. fidam arcem intraverunt, et tam frequentes iactus tormentorum ex castris et ex arce fuerunt, ut maior pars rusticorum nocte dilaberetur: erant enim adhuc novem millia rusticorum in obsidione. Die ergo sexta Junii Urbs per deditionem venit in potestatem ligae, unde Capitaneus generalis ligae D. Georgius Dapifer de Waltpurg Urbem ingressus, et Principes ex arce descendentes primo segregarunt omnes subditos Marchinos Casimiri, quos ad eum miserunt puniendos 1483 rusticos, dein aliquot, et centum mox decollari fecerunt, lictoribus mactando fessis, adservati sunt 760 captivi, reliqui ad propria abire iussi, poenam ligae, et Dominorum expectantes, nam ita solet liga rebelles in comuni punire, et super residuo reservat poenam tam corporis, quam bonorum domino cuiusque loci. Et quia cuneus iste magis formidabilis fuit coeteris, et exitialis Clero et nobilitati, licet parvo negocio fuerit fusus et dissipatus, subnotabimus Monasteria diruta et arces exustas ac spoliatas.

Ebracenses	Tores
Schwartzach	Bildhausen
Heidenfeld	Vesser

Ror
Lanchheim
Panutz
Neukilchen
Tampach
Hostet
Treveb
Wetzenhausen
Irmeltzhausen
Bibra
Thungen
Hohenloe
Steinbach
Ulstat

Monialium

Wessers Winchel
Walperhausen
Sant. Johans.
Sant Clara
Marx
Birchling
Frawental
Reidfeld
Birchenfelt,
cum aliis pluribus

Arces in Herbipolensi

Regelspurg
Buttart
Trunpereck
Stolperg
Werneck
Rottenstein
Grossenlachheim
Hae fuerunt Episcopi

Arces Baronum et nobilium

Bimbach
Rimperg
Estanfeld
Schwehem
Tondorff
Bettenburg
Ergelstorff
Friesenhausen

Arces in Bambergensi territorio

Altenburg Regia Episc. fuit attentata non capta
Stifftenberg
Puildorff
Rott
Neinech
Teissen Vart
Martech
Neuhausz
Neitstein
Schonfeldt
Ledlitz
Geinlenreut
Geiersberg
Kleissenaw
Gantzendorff
Sternberg
Burchenfelt
Kirchlanter
Walchenfelt
Schweinhaid
Durndorff
Eyringshoffen
Rugen
Waufant
Haszloch
Schonbach
Walterheim
Uszleben
Baszheim

Gleichenberg
Pondorff
Walpach
Suntheim
Rottenfels
Turwang
Stubach
Giich
Arnolffstein
Prum
Tasthendorff
Rednitz
Willemberg
Turnaro
Freienfels
Weier
Planckenfels
Weicsenfeld
Rapeneck
Lunrennt
Kutzhe
Bittenfeld
Waltburg
Altenstein
Schwanberg
Castel
Ninburg
Speckfeld
Steffansberg
Reussenberg
Leumpach
Rottenheim
Sugenheim
Neunhausz
Sultz
Kirchberg
Westerdorff
Gibelstat
Hindenhausen
Burchstein
Gnimden
Satzsen
Neusesz
Tlisten
Ellern
Leiterpach
Storsendorff
Weisenbrun
Wartenfelsz
Weisenfels
Auffsasz
Keinach
Sachsendorff
Rusenbach
Wadendorff
Hallerdorff
Grub
Ingolstat.

Et adhuc totidem dicuntur diruisse, vel quia tunc in scriptione schedae huius nondum de omnibus fuit cognitum, et quia plures arces exusserunt post hanc annotationem factam.

Vigesimaquarta Maii rebellarunt aliqui subditi Casmiri Marchionis Brandenburgensis, et tria millia virorum obsederunt oppidum Nevenstat, ad fluvium Asth. Itaque Marchio cum sexcentis equitibus, et noningentis peditibus 27 Maii exivit Marchtelspach ad Ipsan et in itinere incendit aliquas villas seditiosorum, et aliqui ab equitibus deprensi iugulabantur: in Ips decem rebelles iussit decollari; et in itinere versus Bernheim trecenti rustici inciderunt in equites praevios, sexaginta

cesis, alii fuga salvati sunt. Venerant ab Herbipoli 2000 rustici in auxilium obsidentibus Nevenstat; at intellecto adventu Marchionis obsidionem solverunt, euntes una per oppida Wintzheim, et Offenheim, descenderunt ad Herbipolim. Marchio venit in eorum conspectum prope Wintzheim, et quia parvam manum habebat, et fossata plurima illic erant, intactos reliquit. In reditu iterum villas incendit, rusticos iugulat secunda Junii; venit in Lenterszheim tertia Junii, et statim accepit oppidum, turres et portas deiici mandavit, sigillum rupit, privilegia abstulit, quinque decollavit, cum eorum predicatore sacerdoti, septem periuros digitos amputari fecit.

Postquam sextâ Junii, et sequentibus tribus diebus liga omne negocium Herbiboli composuit, pluribus decapitatis, pluribus ad restim toto spatio vitae portandum damnatis, pluribus annuo floreno periurii mulctatis, et de qualibet domo decem flors. solutis, liga ad Bambergam contendit die 14 Junii, et nemine resistente mox cepit civitatem; aufugerant cives ferme quadringenti ad Nerobergam, misit liga ad Senatum, ne receptarent hostes ligae, iuxsta articulum ligae, ideo Senatus proclamavit, quicunque non posset de iure respondere ipsi ligae, is Urbe eo die excederet; unde omnes Bambergenses mox elapsi sunt; decapitati duodecim, capti plurimi, Halbstat exustum, oppida mulctata, et Bamberga quindecim millia flor. solvit; fuerunt evocati trecenti sexaginta, ex quibus duo duntaxat fuerunt inventi; dimisso praesidio apud Episcopum, et commissione facta, liga excessit territorium vigesima tertia Junii, et adiunxit pedites, et equites in subsidium Marchioni Casmiro Brandenburgensi, ut oppida sua recipere, et rusticos punire possit; unde in oppido Kitzing 62 occulos eruit, ex quibus quindecim postea mox mortui sunt; liga autem exercitus per Rhetos iterum ad Svevos et Algoios properat.

Ducis Saxonis cum Lantgravio Hassiae obsessum Molhausen vi expugnarunt pluribus trucidatis, tandem pax proclamata est; et hoc modo mulctati oppidani: Primo restituant omnem clerum, monachos, et moniales expulsos ad priora loca, et priores redditus ut olim. 2°. omnes census et debita creditoribus solvant ut olim. 3°. diruant omnes turres, muros, et fortalitia, et nunquam reaedificent. 4°. omnia arma deponant, et nulla alia acquirant. 5°. quicquid habent de Bombardis, tormentis, pulvere, frumento, in communi aerario exhibeant Prin-

cipibus, — 6°. solvant hoc anno ducibus XV^m flor. — 7°. solvant tribus Principibus 80000 flor., et quo usque illam summam solverint, teneant principes omnes villas, pagos, et nemora dicti oppidi pro pignore. — 8°. singulis annis pro defensione pendant Principibus 1500 flor. — 9°. et omnibus diebus vitae suae sint infames et periuri, ac fidefragi, ac pro talibus habeantur, et reputentur impune ab omnibus.

Lubrienses subditi eodem Maio rebellarunt; quos instructo exercitu aggredientes, pluribus cesis, reliquis captis, praecidi fecerunt longiores duos digitos 1800 rusticis, in exemplum fidefragorum.

In oppido imperiali Memmingen Lutherum prae coeteris vicinis pertinacius secuti sunt, et praedicatorem adversus Episcopum tutati sunt, catholicos sacerdotes expellendo; tandem, senatu nolente rusticis seditiosis auxilium ferre, praedicator sermonem in Senatum vertit, et seditionem movit. Celeriter ligae implorant auxilium, cuius exercitus longius aberat in Franconibus, tumultuarie mille pedites colliguntur, et trecenti equites, et in auxilium Senatus mittuntur. Duodecima Junii oppidum ingrediuntur, tres Lutherani mox decollantur, quorum unus fuerat Ludimagister, qui anno superiori calendarium ediderat Lutheranum omnium sanctorum, etiam Mariae, festis exclusis: Praedicator Christophorus Sthaplar in muliebri habitu evasit cum pluribus complicibus, qui ad seditiosos rusticos currentes, ipsos contra oppidum movent, quod octo millibus rusticorum obsidione cinxerunt, decimaquinta mensis Junii.

Monasteria vel spoliata, vel igne exusta in Svevis.

Ochsenhausen	Beuren
Bucherm	Wingarten
Marhtal	Weisenaro
Zwifalten	Bickenreut
Rochenburg	Richenaro
Wettenhausem	Planckstetten
Oberstonfalt, exustum	S. Georgii } in nigra Sylva
Edelstetten	S. Blasii } in nigra Sylva
Minchrott	S. Petri } in nigra Sylva
Ottenbeuren	S. Truperti } in nigra Sylva
Irsa, in Algoiis	Lorch } exusta
Steingaden	Adelberg } exusta

Kirchen	Herrenalb
Alberspach	Ousperg, exustum
Hirsaro	Elchingen

Porro invasa sunt Monasteria a Principibus. S. Caesarien. Waldsassen. Castel, Anhausen, Heidelheim, Heiligsprum, et Ingeltal, Pillenreut, et Grundeln a Nurimberga occupatur: qui intra moenia usurparunt etiam Monasteria Sancti Aegydii Chartusiensium, Teutonicorum, Carmelitarum, Augustinianorum, Praedicatorum. S. Clarae, et S. Catharinae, religiosis vel pulsis, aut sponte Monasterium exhibentibus.

239.

Episc. Tridentinus Clementi VII.

(Epist. Princ. III. 206.)

(2. Augusti 1525.)

Ex voluntate et commisione caes. M^tis^ indicta est dieta ad proximum S^ti^ Michaelis festum in civitate Augustae cellebranda ad tollendam presertim hanc Lutheranam heresim; nonnulli apud Ser^mum^ Principem existentes huius sunt sententiae ne fieret talis conventus. Ego autem contrariae essem opinionis ut omnino fieret quando quidem sperarem id plus commodi reipublicae christianae, quam secus allaturum, quum in illis Germaniae partibus belluarum more iam vivatur; quod quidem B^ni^ V. ob mea in eandem et S. Sedem Apostolicam observantiam et devotionem continuo significasse volui, latius et diffusius de hac re B^nem^ V^am^ per proximas meas litteras certiorem redditurus . . . Tridenti secunda Augusti MDXXV.

240.

Rorarius Sadoleto.

(Varior. ad Clem. II. 53.)

(3. Augusti 1525.)

. . . Vene nova li giorni passati che a Viena era brusà le munition del Principe cum CCCC et XXXXX case insieme

et tre Monasterii, et tutto il populo era in arme nè anchor si scia se a caso o per fraude sia sta posto. Sono andati da IV mila fanti in soccorso de Salzpurch et li duca da Baviera li adiungeno un numero de cavalli. La qual cossa intendendo li Salzpurgensi hano mandato da quelli del contado de Tirol per haverli in suo soccorso, et se dubita molto che li anderano, sì per la absentia del Principe, come etiam intendendo loro che 'l Principe habia iterum acceptado Salamancha al pristino loco; et se se metteno in arme, dubito vederemo magiori tumulti che prima, et tutto quel paese sotto sopra.

Son venuti da la Cesarea Maestà che 'l se habia ad indir la dietta imperial in questa terra per San Michiel. La qual dieta se si fa sencia la persona del Imperator, sarà causa de grandissima confussion, et a iudicio de tutti de grandissimo male, et che saria molto melgio non si facesse.

De Fiandra per lettere del XXVI de Anversa se ha che 'l Paese basso havea facto tregua cum Franza per quattro mesi. El Principe sarà quì cinque o sei giorni et poi dicono andarà a Stocardia in Bertimberch.

Augustae die III Augusti MDXXV.

241.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 115.)

(5. Augusti 1525.)

... Mi scrive un mio amico da Inspruch che 'l Principe si ritrovava a Vaylem in Baviera per andare in Augusta, et secondo altri in Austria et havea seco Salamancha più grande che prima. Scrive etiam, che sua Serenità havea da Cesare una valise de mandati, et che si credeva dimanderia allo Imperio le genti che li Principi et stati deveno per la promessa da accompagnare Cesare in Italia. Altri che dimanderia una Dieta Imperiale, il che potrebbe esser per la causa che Vostra Signoria harà veduta ne li detti ultimi advisi; potria etiam dimandare l' uno et l' altro. Li tumulti di Germania sono per la maggior parte quietati, et si parlava di mandar soccorso per la Liga di Svevia al R^{mo} Saltzburgense anchora assediato nel

suo castello. Ma quantunque detti tumulti cessino non vanno però le cose al loro dritto camino, perchè quelli Principe et Nobili tirano tutto a loro profitto con non poca oppressione del clero, et libertà ecclesiastica, dove serà necessario che Nostro Signore con Cesare proveggia omnino, altrimenti io temo, in processo di tempo non vada troppo avanti, et sia poi mal' exempio alle altre Nationi de christiani. So che Sua Beatitudine intende il tutto, et per la sua bontà, et prudentia non li mancherà di buona provisione. In Vienna si attaccò il fuoco ne la munitione, et è bruciata tutta con circa il quarto di quella citta, nel quale si comprendono quattro Monasterii. Nè al presente mi occorre altro, se non supplicarli mi raccomandi humilmente alli Santissimi piedi di Nostro Signore, et a se stessa, che Dio tutti felici vi conservi.

Ex Bononia V^ta Augusti MDXXV.

E. D. V. S.

Uti frater Dedit^mus
L. Car. Campegi.

242.

Episc. Tridentinus Clementi VII.

(Epist. princ. III. 216.)

(10. Augusti 1525.)

Scripseram novissime S^e. B^ni Cesaree Maiestatis sententiam esse quod imperialis conventus indicatur futurus Auguste ad proximum festum Michaelis, de quo publicando vel ne, quum plerique apud serenissimum principem diversis votis moverentur nec idem sentirent, placuit quibusdam me quoque consulere quid ipse censerem prestare; respondi rationes ultro citroque adduci posse in alterutram consultationis partem; me tamen moveri magis ad suadendam illius publicationem quam vel omittendam vel retardandam; cui opinioni adhuc haereo. Quamquam ettenim praeteriti conventus imperii vel parum vel nihil pene profuerint, in his praecipue quae ad haeresim luteranam eradicandam maxime profuisse debuissent, et certo teneri possit presentiam Caesaris in Germania longe lateque his rebus conducere posse; quum tamen suae Mis adventus

vel incertus sit vel tardiusculus futurus speretur, satius quidem putaverim principes imperii convenire quam negocium huiusmodi differri; possunt ettenim ex praeteritis admoneri quam perniciosissimum fuerit ab initio non restitisse, et quantis quibusque periculis quisque eorum agitatus sit, a quibus omnino liberi esse potuissent si (ut par erat) cause gravitatem metiri voluissent, que quum nihil dum sopita conspicitur et illius reliquias ubique audire licet, facile fore crediderim quod quos antea rei novitas movere non poterat eosdem iam teneat posterior malorum acerbitas, ex qua cauciores reddantur, ut eadem vel deteriora pertimescant; sed, et si idem conventus proficere non poterit ad res penitus firmandas, peste hae eradicata, saltem poterit modus quispiam inveniri quo res undequaque solidior sit usque saltem ad aliquod Concilium quod aliquando futurum expectatur tempore quietiori. Verum quidem si hic conventus erit indicendus, putavi S[ti] V[e] quedam esse exponenda que (ut puto) cognovisse non erit inutile vel ingratum. Erunt in illo conventu speciales comissarii quattuor pro cesarea Mayestate, Guilelmus Bavarie et Heinricus Braunsbicensis Duces, Casimirus Brandenburgensis et Philippus Badensis Marchiones; sed quum inter cetera tractanda hoc unum erit praecipuum, ipsa heresis luterana, et hec ipsa quanquam Germaniam totam impresentiarum tantummodo infecerit, quum tamen ad alia regna penetrare possit, commune videtur negocium ceterorum etiam regnorum cui, et reliquos potentatus interesse maxime conveniat, sic oratores Francie Anglie Hungarie Polonie Venetorum ducis Mediolani et alios, preterea unum aut alterum qui pro reliquis dominiis Italie huic pesti proximioris vices agant, in eodem conventu; atque ideo ut quum de causa fidei Christiane tractandum sit quod eidem prefati potentatus suos adesse putent, sicut in negocio, quod non est Germanie proprium verum etiam omnibus regnis Christianorum commune, ut quos una fides connexuit, studeant et quibus possunt consiliis eandem propugnare et tutari. Ad quod etiam plurimum conduceret si Helvecii nunctios suos eodem destinarent; de illis sentio qui his erroribus non adheserunt, quosque eadem pestis nonnihil inter suos afflixit: sed ante omnia putarem Cesarem esse adducendum, quod preter illos comissarios suos Germanicos quempiam hispanum virum gravem et cordatum mitteret, qui in conventu ipso explicaret regna illa Hyspaniarum attrocitatem

rei perpendere, de suo et tocius Christianitatis beneficio et quiete agi, si his erroribus finis imponi possit: hortari propterea illos imperii principes ut rem cordi habeant quam alioquin ceteri negligere non poterunt; quod ipsum per Caesarem comitti posset fieri et partibus Flandrie ut et ilhinc mittantur qui pari voto rem adiuvent. Ad hoc, opere precium arbitrarer esse quod Caesarea Maiestas preter litteras generales quas emissura est, aut iam opportune emisit, quasdam preterea et has quidem proprias et efficacissimas scriberet ad principes imperii temporales, ad civitates item imperiales, admonendo eosdem, sicut sue Maiestati negocio convenire videretur: hec autem omnia si alioquin prestare videantur cura opera et diligentia vestre beatitudinis conficienda esse censeo.

Sed pene pretermisissem quod minime pretereundum fuisset: videri mihi non abs re esse, immo maxime necessarium quod vestra Beatitudo, quempiam legatum e latere eodem mittat idoneum aptissimum ac rerum tractandarum peritissimum, cui neque potestas amplissima desit si forte quidpiam esset quod illam postularet, nec ab eo mittendo se contineat quia qui antea missi sunt fructum afferre nequiverint et magis ludibrio habiti sunt quam quod ulla ipsorum ratio duceretur. Etenim ego crediderim quod non eadem ratio sit presentis quam preteriti temporis fuit, quandoquidem nemo tunc persuaderi voluit labem hanc quod fecit postea incomode fuisse parituram. Jam autem nemo non videt quibus calamitatibus subiectus fuerit et magis esse possit nisi omnia redintegrentur ut certum sit rationem ipsam non esse necessariam in persuadendis illis quos ipsa rerum experientia satis superque docuit, proinde legatum non incassum iturum putaverim cui etiam de itineris securitate timendum non erit, quum profecturus est per loca serenissimi principis usque prope Augustam per dietam, et bene possit provideri quod et tutissime ire et honorificentissime excipi possit; sed preter legatum conducet maxime quod Beatitudo V^a^ litteris suis hortetur tam principes imperii quam etiam comissarios Cesaris sicut ipsa prudenter et opportune noverit esse adhortandos tam pro zelo fidei christiane quam etiam statu et honore ecclesiastice dignitatis defendendo.

Proderunt ista comitia ut arbitror primum ut aliqua ex parte heresis hec sopiatur unde tot rapine vastationes locorum cedes incendia tot denique flagitia processerunt et quum ordo

ecclesiasticus eo sit redactus ut nulla maneat pristine dignitatis auctoritas et velit quicumque sibi passim licere statuere contra ecclesiasticam libertatem, poterit saltem modus aliquis reperiri quo vel huiusmodi fieri prohibeantur vel facta minus officiant, et unusquisque plane intelligere poterit de cetero abstinendum a violentiis et non hostiliter esse vivendum, quum olioquin si omnia pro libidine istorum fieri posse debent, nihil neque in Germania neque alibi pauxillatim tutum esse poterit, et ut videre videor sacerdotalis dignitas ubique labefactabitur et pessum ibit; hoc autem posthac viam facile prebere poterit ad omnes Christianitatis principes reconciliandos et demum, quum gratiam invenerint, de expeditione adversus Turcas capessenda decernerent; sed laudaverim quod V. B^ne principes ipsos imperii et ad quos scribet alliciat oblationibus suis humanissimis quibus intelligant sese eisdem non defuturam consiliis suffragiis copiis et opibus suis quecumque potest omnia collaturam ad ea que rerum bene dirigendarum necessitas postulabit; que omnia pro meo erga V^am B^nem illiusque apostolicam sedem officii debito sicut non potui non perscribere, sic omnia maturo suo consilio et prudentie probanda et moderanda subiicio.

Ego de ser^mo principe nihil in superioribus scripsi et quandoquidem minime vereri debet V^a B^do de sua Serenitate quin sua sponte pronissima sit ad ea impendenda que principi pio et religiosissimo conveniant simul et V. B^i illiusque Sedi Apostolice conducere et utrumque decere arbitratur, quod maxime efficiet et omnia diligentissime curabit si eadem V. S^as (ut cepit) ipsum auxiliis suis fuerit prosecuta. Ex Tridento. X^a. Augusti 1525.

243.

Carolus V. Clementi VII.

(Epist. Princ. III. 223.)

(11. Augusti 1525.)

Una cum litteris S^is V. datis dies VII^ma Junii accepimus exemplum illarum quas Ser^mus Austriae Archidux frater noster ad eam de Lutheranorum tumultibus dederat; multa etiam nobis

exposita fuere in eandem sententiam per nuncium S. V., cui etsi abunde a nobis responsum sit, attamen neque cum Bn^ne V. tacere volumus tam nefario scelere ita offendi animum nostrum ut verbis id minime capi a nobis possit, et eo magis quo serius remedium tanto incendio adhiberi posse videtur. Quum enim omnia circumspicimus, levia quaecumque videntur remedia nisi tam alte repostum malum ferro curetur; quod quidem ipsum quam bene sine presentia nostra fieri possit minime etiam videmus. Eo itaque venimus ut cogitemus, nisi coram resistamus, non multo post tota res in pessum itura sit; quam autem celeriter id facere possimus et satis a nobis Sanctitatis V. Nuncio significatum est et B^do V. pro singulari sapientia sua facillime expendere poterit. Plurima enim certa impedimenta non desunt. Non desperamus tamen quin adveniente novo vere ita omnia composita habeamus ut possimus isthuc bene ad omnia instructi advolare, resque si nondum omnino collapsae fuerint sustinere aut collapsas erigere et in pristinum statum restituere. Quod unum maxime in causa est ut publicam pacem necessariam omnino arbitremur ob idque illius conficiende nullum a nobis tempus aut res ulla praetermittitur. Confidimus etiam S^tem V. quae et sua pietas et conditio est, nihil interim praetermissura quod in communem Christianae reipublicae rem et dignitatem redundare possit et praesertim ad afferendam aliquam huic tanto malo medicinam. Quod quidem etiam ut omni cura studioque faciat, ipsam vehementer hortamur atque rogamus, et ut uberius a vicegerente nostro illu. Duce Suessae intelligere poterit; cui etc. Dat. in civ. nostra Toleti die undecimo Augusti, anno Domini MDXXV Regnor ecc.

El Rey.

244.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 119.)

(19. Augusti 1525.)

. . . Quando io partii di Ratispona mandai Mess. Giovanni Cocleo a quelle parti di sopra del Rheno verso Moguntia si

perchè de le cose dì la mi avisasse sì perchè in quello che poteva aiutasse et sostenesse le cose ecclesiastice et di questa Santa Sede; dove certamente ha fatto qualche effetto et buona opera et con la dottrina soa scrivendo et interpretando varie scritture, et ancho con la bontà et honestà de la vita soa. Hora egli mi domanda quello che debba fare se di tornare a me o non, al quale non ho possuto rispondere risolutamente prima che ne habbia avvisata V. S. la quale con le prime soe me dirà quale sarebbe la mente di S. S[tà].

Di Bologna alli XIX di Agosto MDXXV.

245.

Joannes Vengerus Clementi VII.

(Epist. Princip. III. 233.)

(20. Augusti 1525.)

Nimietas doloris diutius silere non sinit; tanta apud nos sunt quae circa professam religionem ipsamque nativam communis nostrae fidei pietatem prepostere aguntur. Jam enim Nuremberga illustris alioqui civitas Wittenbergensibus magis infeliciter traducta misere cecidit; iam, quod S. V. significatum volo illius exemplo ac contagione omnis circum circa superioris nostrae Germaniae provincia dilabitur; iam, quod absque gravissimo cordis dolore referre non possum, pro nativa ac professa Deo Catholicae Apostolicaeque fidei sinceritate, impudentissima certe nec minus impia Lutherani omne genus dogmatis commenta eo usque invaluere ut omne timore Dei abolito omnique eius assueto cultu abrogato, ex ementita per miseros illos dogmatistas nescio qua christianae libertatis detestanda plane licentia, cum privatim tum publice nihil non pro cuiusque fere libidine agatur. Et hodie apud florentissimas respublicas audire integra senatus consulta ac illorum arbitrio ad simplicem fidelium plebem delata iam omni bene beateque per Christum vivendi ratione postergata, abiecto atque exploso penitus spiritualis disciplinae studio, summae fere pietatis apud nostrates ducitur circa divinae scripturae venerandam sublimitatem nihil non exponendo presumere; circa ca-

tholicum vero Dei cultum nihil non immutando vel etiam abrogando audere. Exturbantur ac desolantur monasteria, demoliuntur sacrilega manu sacrae aedes, census si qui sunt et annui redditus atque ipsa denique sanctorum ac Christi pauperum substantia a prelatis ipsisque ecclesiarum praepositis violentia Principum ad nescio quem usum preripitur, exulari coguntur sanctae professionis promiscui sexus homines, abnegare commendatum sibi tantopere vel prisca ipsa sanctorum Patrum humilitate monasticum habitum, maritari uxores ducuntur, ac nihil non civilium ac secularium fluctuum subire vel inviti in summa vero circa Priucipes ac magistratus ipsos omnia in isthac pietatis causa, seu per tyrannidem meram sive secundum teterrimae avaritiae pestis dictamen palam actitari solent. Iam vero tali huic ac tanto malo nemo fere est, qui vel medeatur, vel quo saltem pacto aliquatenus medendum sit, querant. Cum eruditorum bona pars improbitate nimirum vitae suae deflexa in omne id genus stupendi atque execrandi potius novi Christianismi conspirarit, ita ut perrari plane sint, qui pietate magistra in periclitantium tot animarum salutem dicto vel facto e contrario quippiam excudere vel possint, vel audeant. Nam scriptis nequicquam in eo mali consulitur. Recte enim indies magis ac magis invento suo disperit infelix germana solertia, tanta inprimendi arte spurcissimorum illius partis libellorum tumultuaria obruta multitudine. Ad extremum vero in eo causae vel ipsa quoque pastoralis Episcoporum virgae censura et nimis segniter agere et parum officiose videtur. Proinde in communi isthoc coporum aeque atque animarum extremo sane dispendio de Beatitudinis vestrae, sed et Sanctorum Petri ac Pauli magis auctoritate confisus, non pigritabor, dummodo Sanctitas Vestra iubeat, ego licet uxoratus Sacri diaconatus officium subire, nec pigebit professae in Christum catholicae fidei, iamiamque intercidentis propemodum religionis amore cum vulpeculis illis vineam dominicam tantopere demolientibus in earum capheram manus conserere; nec demum quantum ipse dederit Dominus sancti ac divini verbi sui (nec aliter tamen quam secundum hactenus tanto aevo approbatam theophororum Patrum catholicam illam atque irrefragabilem Ecclesiae auctoritatem) per me fiendis praedicationibus et ex adverso ascendere et pro ipso sancto Domini Israhel murum opponere, diffugio. Atque ita demun cum meum obsequium tum communis magis

patriae periclitantem fidem in primis Beatitudini vestrae commendatum volo. Faciet profecto S^as^ V. preclarum Christi vicarii opus si efferventibus ac temerariis in apostolicam Sedem sive calumniis seu etiam insultationibus iniuriosis exquisitius de afferendo remedio pro paterna benignitate inobedientiae vobis filiis quo saluti aliquantisper consulatur, prospicere non destiterit; pro immeritis nimirum illis omne genus maledictis atque iniuriis devocatis, largissimas aliunde benedictiones a Divina clementia una cum omnis R^dae^ S^is^ fratrum Collegio receptura. . . . Ex Neostadio 13. Kal. Sept. MDXXV.

Humillimus Servulus
Ioannes Vengerus.

246.

Ferdin. Archidux Austriae Clementi VII.

(**Epist. Princ. III. 234.**)

(21. Augusti 1525.)

Post beatos pedes deosculatos . . . Quantis premar necessitatibus et difficultatibus S^as^ V. ex novissimis meis litteris et amplius ex relatione Consiliarii mei Petri de Salamanca cognoscere potuit, ex cuius ego posterioribus litteris abunde intellexi quam propensa voluntate B^do^ V. reliquos decem mille ducatos mihi solutos esse cupiat, quos etiam nisi Sta Sedes ista suis quoque necessitatibus laboraret haudquaquam desyderarem. Agnosco equidem hanc S^is^ v^rae^ paternam affectionem et simul hoc beneficii et auxilii quo debeo animo et recipio et repono, non existimans alio quam quo fit respectu tantum fieri morae in prestando residuo; pro quo tamen numerando cogor eandem denuo interpellare. Quandoquidem mihi immensi et propemodum intollerabiles sumptus faciendi sunt adhuc pro subditis meis castigandis, qui in patriis meis anterioribus proximi Helvetiis nihilo mitiores facti tanta coram oculis clade facta in Alsatia perstant in odio cleri, quem si pares animis vires suppetivissent iam extinctum omnino videremus. Unde ut hoc malum funditus eradicetur et formidine saltem poenae obstinati adhuc ad rectum reducantur aut extirpentur indurati, id autem nequeat sine copioso milite fieri

quem collegi et sustento in hanc usque horam gravissimis impensis, S^tem^ V^am^ deprecor et obsecro ut quando super assignatis illis viginti millibus veluti certissimis fidem meam obstrinxerim dignetur offitialibus aerarii sui demandare ut omnino si modo fieri commode posset, reliqui X^m^ Ducati cum effectu numerentur, absque dilatione, aut saltem de illis Fuccarus securus fiat et cautus, sicut scripserat iam illi optime cautum fuisse. Sic ego plenius fruar benefitio S^is^ V^ae^ et maturius quod intendo expediam; si Deo propicio voti mei compos factus fuero, non parum proderit ad reducendam et conservandam pristinam fidem et observantiam S^ae^ Sedis Apostolicae ... Dat. Tubingae, die XXI Mensis Augusti. Anno Dni. MDXXV.

247.
Clemens VII. Suevis.

(Clemens VII. Epist. ad principes per Sadolet. fol. 203.)

(23. Augusti 1525.)

Fides et fortitudo vestra quae his temporibus cum summi Dei honore et Germaniae totius utilitate egregie enituit etsi humana quoque commendatione decoranda sit, maius tamen et prestantius habitura est praemium apud eundem Deum gloriae sempiternae; nihil enim illa potuit expectari opportunius, nihil magnificentius. Nisi enim vos extitissetis, et si non virtus et consilium et vires vestrae obstitissent, furor ille immanis impiissimarum haeresum, multitudine improborum concitata, omne sacerdotium, omnem nobilitatem, omnes et publicas et privatas dignitates, mores, leges, iura, universam denique Germaniam ferro, strage, flamma et ruinis involvisset, istamque fortissimam et nobilissimam nationem, apud quam ante hac precipua humanitatis laus et catholice religionis observatio semper constitit, ad vitam agendam more ferarum et ad rerum omnium confusionem adegisset. Quod tanti mali periculum vel detrimentum potius virtute vestra ita propulsum et compressum est ut sperare debeamus, Deo ceptis aspirante, caetera ad pristinum ordinem ac decus facile reditura. Sed in tota hac re mirabile visum est nobis Dei omnipotentis consilium; voluit

ille peccatis nostris ad iracundiam provocatus, exigere poenas, suaque severitate per Italiam acriter et Galliam et Hispaniam excanduit, quae provinciae bello, fame, pestilentia aliquandiu vexatae et populatae fuerunt; Germaniam vero haereticae pravitati permisit lacerandam. Sed cum nunquam obliviscatur misericordiae, cum habeat semper oleum pietatis suae paratum ad medicinam nostri vulneris, praevidens heresis perniciem supra omnia mala esse graviorem, habuit gentem selectam, populum precipuum, catholicam nationem, civitates bene moratas, egregios duces, fortissimos exercitus, quos Sathanae nimium saevienti et eius impiis ministris opponeret. Quod iudicium Dei omnipotentis factum erga vos vestramque propterea gloriam et pietatis laudem vobis et toti federi ac colligationi vestrae ex toto corde nostro et ex tota anima gratulamur, ita animo parati erga vos, ita amore incitati, ut nihil sit quod vobis debere nos non fateamur; si enim sacerdotalis dignitas nobis cordi est sicuti esse debet, ut quae ad exemplum coelestium ordinum instituta maximum affert et communi vitae ornamentum et ad Deum colendum venerandumque adiumentum, ea per vos non solum defensa verum etiam restituta est; si animarum salutis praecipuam curam gerimus, veluti quas boni more pastoris etiam sanguine et capitis nostri periculo tutari debemus per vestram virtutem erepta et ablata est impiis potestas illas populandi et dilaniandi. Si Dei, vita honorem nostra tenemur habere cariorem, periclitanti illi et a furore heretico perturbato vestra subvenit pietas et fortitudo, ut omnibus causis noster devinctus amor ad summam benivolentiam et ad omnem vobis gratiam habendam perpetuo teneatur. Quamobrem vobis affirmamus nunquam nos huius vestri facti eximii atque immortalis memoriam deposituros, nunquam vestram laudem et virtutem tacituros; quod si quid ad illam ipsam virtutem vestram ornandam atque illustrandam fieri per nos potest, si quid Sedis Sanctae Apostolicae nomen studium auctoritas ad dignitatem et commodum vestrum conferre est apta, volumus vos existimare omnem nostram voluntatem, omnem benignitatem vobis fore semper et honoribus utilitatibusque vestris promptam et paratam; devotiones vestras in domino hortantes, ut quae bene a vobis cepta sunt ad extremum deducere et firmare studeatis, prestantissimique omnium quae multis iam seculis gesta sunt facti, absolutam perfectam-

que gloriam et Deo et mundo et singulari virtuti vestrae et expectationi cunctarum gentium exhibere. Datum XXIII Augusti MDXXV. Anno secundo.

248.

Clemens VII. Treverensi Cardinali.

(Clement. VII. Epistolae ad principes per Sadoletum scriptae fol. 201.)

(23. Augusti 1525.)

Ven^is Frater salutem etc. Quantum profecerit in tantis Germaniae motibus tuae fraternitatis virtus et prudentia ad impiorum hominum tumultus sedandos, aut etiam armis vindicandos, est nobis plane cognitum, nihilque novum de virtute, et religione tua intelleximus. Sumus enim iamdiu in ea opinione, ut in te iudicemus vigere exemplum et pietatis erga Deum, et integritatis eximiae. Illud maxime quidem nos delectavit in tanta confusione rerum omnium, et perturbatione status ecclesiastici ita enituisse virtutem tuam, ut intelligerent, et sentirent improbi, Summi Dei Sacerdotes etiam ad res magnas temporales gerendas inveniri idoneas. Quanquam nollemus opus fuisse armis: sed si arma necessaria sunt, non sunt illa repudianda, presertim si ad conservationem verae et sanae Christi fidei, et ad reipublicae Christianae utilitatem sumpta fuerunt. Quod in te evenisse, tuamque animi magnitudinem cum Deo et cum religione fuisse coniunctam, plurimum gaudemus, Tuaeque Fraternitati de tanta exquisita laude gratulamur. Nos quidem, qui tibi semper ex animo affecti fuimus, insignemque erga te gessimus benivolentiam, hanc tuam laudem ducimus nobis pene communem esse tecum, quae et si magnis laboribus, et sollicitudinibus fuit mixta, hoc tamen fuit insignior, quod illustriore documento patefacta est; est enim virtus in difficultatibus perfectior. Volumus itaque existimare Fraternitatem tuam nos et multis praeteritis officiis tibi esse devinctos, et hoc recenti eventu ita incitatos ad amorem et charitatem tui, ut nihil sit, quod tua causa, Domino adiuvante, non libenter facturi simus Nec vero opus esse putamus te hortari, ut in pristina, et iam suscepta virtute

permaneas, hortatur enim te fides, et dignitas tua, atque is Deus verus et unus, cuius omnes nomini, et honori tuendo elaboramus; quem tibi non dubitamus tuorum laborum fructus uberrimos relaturum. Nos, si tibi incommodum non est, de rebus illis per te potissimum certiores cuperemus fieri, si quid esset quod a nobis geri aut consuli oportere iudicares, nam et ea verissima haberemus quae abs te scripta essent et non deessemus studio et opera, omnia faciendo quae ad Christianitatis decus et ad illius nationis salutem pertinerent.

Datum Romae die XXIII Augusti MDXXV. Anno Secundo.

249.

Joann. Albertus Brandeburg. Clementi VII.

(Ep. princ. III. 240.)

(25. Augusti 1525.)

Depo la venuta mia in Germania, de quante nove perturbationi sonno occurse de le quali in bona parte io son stato presente, ne ho tenuto avisato lo S^r^. Marchese Gumperto mio fratello, acciochè riferendone a Mg^r^. il Datario, sua S. potesse farne partecipe V. S^tà^ quando li fusse parso opportuno, et che, come per molte altre vie, così anchor per questa venisseno a notitia di la S^tà^ V^a^. Hora con occission di circa centomilia rustici in diversi luochi, le seditioni per questa volta spero haranno havuto fine et forsi in tanti mali ce sarà stato pur questo di buono che molti se recognosceranno dal error commesso in Dio, in la S^tà^ V. et tutta la Sede Apostolica. Io non cesso nè ho mai cessato persuadere che così sia et come è mio debito commendare il nome de la S^tà^ V. a questi popoli, et forsi non pochi ne ho rimessi in la via diritta con lo aiuto de Dio.

Dì nuovo è venuto da me Giovanni Venger cittadino dì Navistadio terra nel domino nostro, homo in molte altre facultà et in theologia dottissimo, et, quanto questa nostra lingua pate, facundissimo et apto a persuadere; il quale a requisitione et prieghi di molti impauriti da queste tribulationi et per lo

amor de la natione, qual vede pericolar solo per mancanza de buoni predicatori, se offerisce a predicar prima in la sua patria et fra pochi mesi anchora in mezzo di Nurenberga che così ha intendimento con una gran parte et dei migliori di quella terra; onde lui havendo mogliera quale prese già vergine et anchor non ne ha figliuoli, supplica a V. Stà la si degni concederli gratia di posser predicare con dispensa et del matrimonio et de la vita secolare; supplicone anchor io quanto posso, che vedo la cosa esser di grande et ottimo proposito et che tali offerendosi non solo meriteno esser accettati ma cercati et con honesti premii conciliati in questi tempi. Lui era in animo conferirsi in Roma per posser meglio exprimere la divotion sua. A me è parso dissuadernelo acciò li emuli, quali molto il temeno, non habino poi subito occasione di gridare al Popolo, che subornato da premii torni a predicar contra la fede evangelica, come lor dicano. V. Stà potrà, piacendoli, informarsi di costui da Mr. Jacobo Zigler, qual per essere anchor lui huomo dottissimo et buono, non dubito chel sia cognosciuto da V. Stà a li piedi de la quale humilmente me ricomando, et priego Dio la conservi longamente et in felice stato. Da Onospachio nel XXV di Augusto MDXXV.

Di V. Stà.

Humillissimo Servitore

Io. Alberto Marchese di Brandenburg.

250.

Campegius Sadoleto.

(Nuntiat. German. LIII. 120.)

(27. Augusti 1525.)

Alli XXVI di questo a notte hebbi le di V. S. de XX con la copia de le lettere del Tridentino, le quali ben lette et considerate, circa le ragioni che le adducono perchè si debba mandare là oltre un Legato, anchora che le paiano di qualche evidentia, pur a dire liberamente la opinione mia a me non satisfanno et maximamente quanto a quel fondamento che hora le cose non sieno in quei primi termini, ma che ammaestrati già quei populi da le incommodità et danni passati

di quella heresia et pertinacia loro facilmente se li potrebbe provedere; perchè quantunche sia vero che habbino provato li infinti mali tumulti et sedicioni che ne sono seguite, et chio creda che saranno disposti a metterli et a sostenere qualche ordine et provisione, niente di meno la da credere Vostra Signoria, che quanto al stato Ecclesiastico tutti quelli Principi sono molto pronti ad opprimerlo et torli la solita libertate, et tutto per tirare le cose al commodo et util loro.

Vigesimaoctava Maii recepit Neckersolm, et undecim decollavit, duo erant Sacerdotes, et unus Apostata; ibi exercitus ligae convinctus fuit Archiepiscopo Treverensi, et Palatino 29 Maii: aderat et Episcopus Herbipolensis, cuius subditi rebellantes 23 Aprilis cum omnibus oppidis, et arcibus (tribus demptis) exuerant; Vigintritia Monasteria combusserant, et 146 arces in Herbipoli, et Bamberga. Trigesima Maii exercitus venit ad Nevenstat, et paucis decollatis festinatum est eo die ad Oringen. XXXI Maii exercitus tendebat versus Tabecum persequens rusticos fugientes. P^a^ Junii exercitus traiecit Tabecum, et rustici montem subeunt prope Kungszhofen. 2^a^ Junii invaduntur a liga, et in monte, et in nemore vicino, ad quod confugerant cesi sunt, capta tormenta in rhedis 42 capti rustici; perierunt 6300.

Obsederant 26000 rusticorum Arcem Herbipoli, miserant in succursum rusticis adventantibus; et iam cesis octomillibus rusticorum quarta Junii liga eos invadit in Tribelstat, et arce diruta Ingelstat, ac nemore; interfecti sunt 5000.

Liga recepit Herbipolim sexta Junii, plures decollati, alii variis poenis affecti sunt, et Episcopus restitutus, deinde liga proficiscitur ad Bambergam, Episcopum restituit, duodecim decollavit — 15^a^ Junii Halsz pagum incendit, et mulctatis passim opidulis 23^a^ Junii liga recessit per Forcheim, et p^a^ Julii venit ad planitiem Danubis prope Lahingen, et Gundelfingen, motura cladem Algois et Rusticis in Ilertal, Gintztal, Mindeltal.

Palatino agente in exercitu ligae, rebellant sui circa Wormatiam, unde cum Archiepiscopo Treverensi, et Frobenio de Hutten accelerat, ut rebellionem comprimat. 23^a^ Junii ante Pfederszheim conflicit cum rusticis, illis partim cesis, partim fugientibus, mane tormentis aggressus oppidum, hora X (iactis plus 263 tormentorum) recepit; decollati sunt in oppido sexaginta in monte S. Georgii 46 Dominico die et 28 Junii 21 de-

collati sunt: occisi sunt vespere et mane ante oppidum, et in monte S[ti] Georgii 3900.

Vigesimanona Junii vertit exercitum versus Neustat Amhart, ubi decem decollavit; perrexit deinde versus Wissemburgum.

Frobenius autem de Hutten ad Moguntiam cum equitatu, et Episcopo Argentinensi locumtenente se contulit, nam et illi 26 Aprilis rebellaverant et articulos quosdam extorserant, ac Rinckaviam ad ṣeditionem impulerant. P[a] Junii ingressi sunt Moguntiam, capti sunt sexagintaduo; postea exiverunt undecima Julii ad Rinckaviam et decollati fuerunt 54 et privilegiis et armis exuti, ac magna pecunia mulctati et arcem iussi edificare.

Algoii rebellantes Episcopo Augustensi, Prelatis et nobilibus, saepe minati sunt irruptionem in Bavariam per lacum: plura etiam monasteria diripuerunt et incenderunt, similiter et arces nobilium et praelatorum, unde Duces Bavariae compulsi sunt habere exercitum collimitium qui rusticos reprimeret, abigeret pecora, pagos incenderet: sparsim occisi sunt 600.

Positus est et Diepoldus de Stein cum trecentis equitibus et mille peditibus in Wissenhorn, ut insolentiam rusticorum impediret, qui successive plures rusticos occidit. Villas in valle Rot et Ilerae incendit ac Baltzhausen et Seinetzhausen cum pluribus aliis in Mindeltal; creduntur sparsim occisi 1500.

Missus fuit 14 Junii ad Meminge ad compescendam rebellionem plebis contra senatum, ubi antiqua sacra restituit, tres decollavit, aliis primoribus rebellionis et predicatore fuga elapsis, qui rusticos et Algoios comitarunt ad obsidendum oppidum et venerunt 9000 rusticorum; sed egregie defensum est per Diepoldum contra plebem et rusticos. Intellecto autem adventu ligae solverunt obsidionem XXV Jun.

Rebellant rustici 22 Aprilis Episcopo Eistettensi et aliis collimitiis, occupant castrum Messing et oppidum Greding. p[a] Maii supervenit Fridericus Fr. Palatini et equitatus Bavaricus. Unde rustici timore dilapsi sunt et ad gratiam et iustitiam recepti, decollati sunt tresdecim secunda Maii. Tertia postea Ingolstadii plures capti. Bohemi pedites plures rusticos ante cognitam pacem occiderunt 150.

Subditi Marchionis Brandeburgensis et comitum de Ottingen rebellant in Rhetia, sed sedatur et dissimulatur rebellio. De-

cimanona Aprilis fortius rebellant et Comitem Ludovicum capiunt. Septima Maii equitatus Marchionis in eos irruit et cedit. Interfecti sunt 35¢o.

Fuga dilapsi incendium novum parant in Elvangen, sed vicini de liga contractis undique copiis Duce Reuchardo de Nienech rusticos vincunt praelio, decimoctavo Maii oppidum receptum est et praeposito restitutum ac reducta antiqua sacra. Decollati vigintitres. Caesi 436.

In Marchionatu Brandeburgensi superiori passim rustici et saepe moliebantur rebellionem; obsederunt oppidum Neustat 24 Maii. Equitatus eius exivit Marcktelszpach ad Ipsen, rusticos occidit passim, villas incendit. In Ips decem decollati. 2ª Junii venit in Leuterszheim, quinque decollavit, turres et moenia destrui fecit, septuaginta civibus in Hitzinge oculos erui iussit; passim decollati multi; pluribus digiti duo dissecti, occisi toto tempore, circa 2000.

Alsates rebellant Archiduci Austriae, Episcopo Argentinensi et Comitibus etc. et subditos quoque Lotharingi ad rebellionem provocant, unde exercitus Lotharingi decimaoctava Maii vespere invadit et vincit rusticos in Aupstein. Decimanona Maii rusticos fundit in Tabern. Vigesima Maii inter Jambach et Strorreiler denuo profligat rusticos; aggerem quoque proximum, interfecto praesidio imposito occupat, et passim rusticos obvios iugulat. Perierunt in his cladibus ultra 2600.

In Buchonia rebellant rustici abati Fuldensi et nobilibus; eos cedit et reprimit Lantgravius Hassiae; desiderati sunt ultra 2000.

In Thuringia rebellant rustici, Monasteria et arces nobilium diripiunt, authore Thoma Mintzer plebano in Frankenhusen. Supervenere Joannes et Georgius Duces Saxoniae, Ericho Brunsviensis et Philippus Lantgravius Hassiae. 15 Maii rusticos conficiunt, pluribus captis, Thomas Mintzer modicum assatus et deinde decollatus est. Confessi sunt captivi propositum eorum fuisse Principes omnes et nobiles occidendi; perierunt in ea clade ultra 7000.

Progressus exercitus contra Molhausen, ubi erant auctores criminis; occupato oppido, antiqua sacra et clerus restitutus est, armis omnibus et tormentis bellicis exuti cives, solverunt ducibus 40000 flor. et singulis annis pendant 1500 fl. et prin-

cipibus permittant omnes pagos quousque redemerint cum 80,000 flor. ..

In Algoia exercitus ligae 3 Julii a Danubio contra Algoios progreditur et ascendit per vallem Chamlach ubi substitit per octo dies in Wattenweiler; inde versus Memingen iter dirigit; rustici vero in dies augent exercitum et a faciae ligae fugiunt usque ad flumen Luibus ubi montem subeunt conflicturi; subsecuta liga bombardis eos aggreditur vesperi; territi rustici diffugierunt, unde sequenti die 13 Julii ad gratiam et iustitiam recepti sunt, pluribus passim in itinere et in monte occisis; perierunt 1400.

Obsederant subditi Archiepiscopi Saltzburgensis arcem ipsius, qui diu frustra petiit auxilium a Liga, nemo enim ei succurrit nisi Ludovicus Dux Bavariae, qui septingentos equites statim in confinia duxit. Georgius de Fronsperg clarissimus belli dux collegit militem, sed tardius eum Lantspergii expectavit; tantem soluto exercitu ligae accelerat Saltzburgum, quod primo impetu dum capere tardat, rustici interius audaciores facti fortius resistunt. At dum Liga Episcopum in sui protectionem accepisset, constituto Duce Ludovico Bavaro Capitaneo, rustici timore perculsi gratiam petierunt; sicque, pace firmata et restituto eposcopo, exercitus solutus est quarto Septembris.

259.
Clemens VII. Cardinali Maguntino.

(Clementis VII Epist. ad Princ. per Sadol. scr. fol. 210.)

(16. Octobris 1525.)

Gratissimas nobis accepimus litteras tuas XXVIIII Augusti datas, quae excusationem quodammodo actionum tuarum continebant, de his quae secus de tua integritate et constantia essent divulgata. Atque, ut verum fateamur, fuerunt quidem illa circumlata sermonibus ad auresque nostras pervenerunt; sed nos qui circumspectionis tuae animum plenamque pietatis mentem cognoscebamus, nunquam potuimus adduci ut crederemus tantum nefas a tali et principe et cardinali adversus ipsiusmet dignitatem fuisse commissum. Quamobrem non po-

tuere commodius nobis advenire litterae tuae, nam et confirmarunt testimonium de te nostrum et maledicorum ora oppresserunt. Nos quidem Deo et virtuti tuae gratulamur talem te esse inventum qualem semper iudicavimus et Christi et Christianae reipublicae fidum firmumque defensorem. In qua laude hortaremur circumspectionem tuam ut pergeret et perseveraret, nisi putaremus omnem hortationem supervacaneam esse, cum te et dignitas tua et iudicium interioris conscientiae ad id maxime hortentur. Etsi enim ea quae in Germania acciderunt et quasi furore quodam mota sunt, magnos omnibus principibus labores, multas sollicitudines attulerint, tamen et fortiter ac gloriose repressa sunt, et docuerunt id quod potest iam omnibus patere, pessimarum heresum auctores non minus suis quam alienis esse perniciosos. Quare Nos et circumspectioni tuae de tam pia mente gratulamur et tibi tamen suademus ut hanc laudem perpetuam tibi retineas; hosque si quid quod fieri a nobis oporteat admonueris, pollicemur nec dignitati tuae nec saluti totius Germaniae defuturos Quae autem praeterea a nobis per litteras postulas, de iis iussimus responderi agentibus hic tuis, qui ad circumspectionem tuam plenius perscribent; Tu hoc tibi persuadeas volumus curae nobis admodum esse et decus et existimationem tuam. Datum Romae etc. die XVI Octobris MDXXV. Anno secundo.

260.

Episcopus Tridentinus Clem. VII.

(Epist. princ. III. 304.)

(10. Octobris 1525.)

Hesterno primum die recepi Breve vestrae Sanctitatis quod ipsa dedit ad me XXIII Augusti, responsivum ad eas quas ad se dederam X eiusdem, quod, ut admoneor, prius fuit in Flandriam delatum quam mihi reddi potuerit; atque ideo factum est ut ego citius quam modo non responderim, quod alioquin minime pretermisissem quominus illico debitum servitutis meae erga se et sedem suam apostolicam agnoscerem; quod igitur me V^{a} S^{as} hortatur ut in priore mea observantia et rerum suarum cura persistere velim, de singulis ipsam cer-

tiorem reddendo, studebo semper diligentissime quantum erit in me ut omnia prestem quecumque a fidelissimo servitore possunt expectari, idque vel ob hoc diligentius curare possum postquam evasi iam illud periculum quod quasi incautus et ex improviso diebus superioribus incideram quum me et civitatem hanc tridentinam Rustici horum confinium et alieni et mei ex insperato circumvalaverant dum presensissent quod Ser[us] Princeps constituerat ex hoc loco sicuti commodo sumere ultionem adversus nonnullos ipsorum et iam huc cepisset premittere aliquot pedites, cuius rei causa quam voluerant iidem rustici praevenire; sed eorum conatus irriti fuerunt. Unum non ommittam de quo me praeteriti tumultus et seditiones admonent plerosque sacerdotes his ipsis seditionibus irretitos fuisse et debiti sui parum memores ignem accensum non tantum non extinxisse verum etiam ut acrius succenderetur favisse, nihil prorsus omisisse loquendo et scribendo quod ad rerum interitum et pernitiem faceret, contra quos bene conduceret quippiam remitti de eo quod alioquin iura sanxerunt adversus sacerdotes horum noxios, ut magis temporaliter plecti possint quam spiritualibus poenis subiici, quae criminis atrocitati non satis correspondent; quod V[a] B[o] magis cordi habeat, velim illam non latere inter hos pedites qui hic fuerunt pro castigationibus horum subditorum et ser[mi] principis et meorum compertos fuisse ultra centum monachos et seculares sacerdotes qui huius saeculi militiam coelesti preponendam esse duxerunt, ut opus esse censeam v[am] b[m] prudenter et solerter advertere ad curam Dominici gregis, alioquin plurimum vereor quod de Germania prorsus erit desperandum, si erorres illi diutius fuerint supportati ... Ex Tridento decima Octobris MDXXV.

261.

Theodorius Hezius[1]) Blosio D. N. P. Secretario.

(Eckii et alior. epist. fol. 270.)

(26. Octobr. 1525.)

Superioribus diebus pridie quam ex urbe in patriam discederem tradidit mihi Dominatio V. duo memorialia R^mi^ D. mei episcopi veronensis datarii, quorum altero R^ma^ D^tio^ eius, a qua et subscriptum erat, mihi mandavit ex parte S^mi^ D. N. ut postquam Lovanium venissem studerem cum dexteritate et absque tumultu duobus illis theologis Lovaniensis Academiae Erasmi Roterodami, ut ipse queritur, traductoribus, Egmondano inquam et Vincentio, silentium et abstinentiam ab illius obtrectationibus morsibusque imponere. Altero vero, quod subscriptum non fuit, mihi proprio nomine comisit et iniunxit ut apud Lovanienses ad quos spectaret, efficerem ut D. Juliano Baccio de Organis familiari suo pensionem quandam XX ducat. illi super fructibus canonicatus et praebendae Collegiatae Ecclesiae S. Salvatoris Harlebecensis Tornacensis dioecesis reservatam salvam et integram esse iuberent per illum magistrum de gremio suo, qui se in dictos canonicatum et praebendam intrusisset Horum itaque mandatorum memor ego, illico atque Lovanium veni, de utroque negocio, quantum tum tempus ferebat et in me erat, locutus sum et mandata mea, quibus debui et potui, exposui. Et, ut prius de priori et principaliori loquar, adii personaliter dictum Egmondanum, eique declaravi et querelas quae ad S^mum^ D. N. de eo delatae fuissent, et quid sua S^as^ super iis ab eo fieri vellet explicans et causas rationabiles, quae eandem S^em^ ad ita volendum et praecipiendum adduxissent: ususque sum per omnia verbis quae hominem delinire potius quam irritare possent; quibus ille auditis mox sine ulla haesitatione respondit: velle se uti bonum et obedientem filium S^ae^ Catholicae et Romanae Ecclesiae eiusque pastoris et principis Christi Vicarii deceret, per omnia parere mandatis Apostolicis, quantum cum Deo et salva integritate fidei ac religionis posset; nec quicquam

[1]) Theodorius hic fuerat secretarius Papae Hadriani VI.

dubitare quin S^us D. N. bono et prudenti consilio usus sibi silentium de Erasmo imponendum censuisset; velleque illud eatenus servare quatenus S. D. N. mandasse crederet; id est ut a maledicentia in Erasmum nominatim exercenda prorsus abstineret, prout facturum se se iam tunc pollicitus est, plane promittens se Erasmum amplius haereticum appellare nolle, prout prius aliquoties vel dixisse vel saltem innuisse se minime inficiebatur, non quidem odio personae ad id adductum quam una cum litteris semper amasset, sed zelo fidei cui expedire immo necessarium esse duxisset, fidelibus quibus verbum Dei ex officio annunciare debuit, patefacere et insinuare quidnam de Erasmi scriptis non paucis pernitiosis erroribus ubique respersis, sentire deberent, ne videlicet pariter cum mellitis et ornatis hominis verbis venena sensuum sub illis latentia imbiberent et ut videas (inquit) quomodo Erasmus erga Lutheri diabolicum ceptum et institutum ab initio fuerit affectus, scito illum in quadam epistola ad Lutherum, quae palam circumfertur, scripsisse haec verba: Haec scribo non ut facias, sed ut quod facis, perpetuo facias; quae verba, nescio (inquit) quo facto a quoquam in bonam partem interpretari possent, aut quomodo ego reprehendi in eo quod auditores meos admonui ne Erasmo eiusque scriptis nimium fiderent. Haec et his similia multa adduxit ad ostendendum se merito et ex iudicio immo ex debito in Erasmum dixisse quaecumque dixisset, et omnes verbi Dei praedicatores eadem dicere debuisse, hoc maxime tempore quo homines magis nova et insana dogmata quam veras et catholicas doctrinas prurientibus auribus exciperent. Hoc tamen fine sermonem suum conclusit, ut omnino negaret se quicquam amplius acerbi in Erasmum nominatim dicturum, dummodo tamen ille vicissim abstineret a scribendo in fidei propugnatores ea quae illos apud populum contemptibiles et auctoritate, talibus maxime necessaria, carentes reddere possent. Ad quod illum similiter per S^mum D. N. astringi supplicabat; neque enim ullo pacto adduci potuit ut crederet esse mentis S^tis Suae Erasmo debere libere scribere quaecumque vellet in praedicatores catholicos eosque mille contemptis et ridiculis vocabulis appellare; non licere autem illis sese adversus illius scripta, multo latius patentia verbis mox evanescentibus, et semper loquentia, defendere. Denique in epistola quadam, quam idem Egmondanus

nuper ad me dedit, postquam scilicet intellexerat me non rediturum Lovanium pro finali responso suo et dicti Vincentii (qui dum ego illi loquerer Lovanio aberat) prout inter nos convenerat, haec verba in forma ad me scripsit: „Non dubito (inquit) esse de mente S^mi D. N. et Sedis Apostolicae omnes Deo consecratos sacerdotes et maxime theologos facere scribere et praedicare contra pestilentissimas haereses Lutheri totam Ecclesiam perturbantes. Talem me semper habebit Sedes Apostolica et Pontifex et usque ad vitae periculum; hoc enim debemus Christo, debemus Ecclesiae, debemus Sedi Apostolicae. Quod si quis in erroribus his corrigendis clamaverit se lesum, protestor coram Deo non id fieri mea culpa, sed eius qui talia scripserit quae nequit a lutheranis erroribus superare“ Hucusque verba Egmondani, de quo hoc unum dico, me invenisse eum virum (ut mihi quidem visum est) sanctum, zelosum pro fide ac religione, Christi et Sedis Apostolicae observantissimum, omninoque alium quam mihi illum multi etiam ex alumnis dictae Lovaniensis Academiae depinxerant, viri alioqui boni qui magnam hominis vehementiam adversus quoscumque qui lutheranum quippiam sapere viderentur ferre non potuerunt, in qua vehementia fieri potest ut ille non semper exacte modum temperantiamque servaverit, cum hoc in vehementibus affectibus difficillimum sit, sed meo iudicio collaudandus est hominis zelus quo in materia fidei semper usus est statim ab exortu lutheranae haereseos. Ipse enim primus publicavit condemnationem Lutheri perversorum dogmatum per Lovanienses Theologos magistraliter factam. Ipse bullam S^ae memoriae Papae Leonis adversus eadem dogmata, eorumque auctorem emissam et edictum imperiale pro ipsius bullae executione sollicitante D. Hieronymo Aleandro Episcopo Brundusino, tunc nuntio Apostolico factis, in diversis terris ac locis evulgavit. Ipse D. Francisco Hulstio quem tam imperator quam felicis recordationis Papa Hadrianus Dominus meus haereticae ac Lutheranae pravitatis in his partibus inferioribus generalem deputaverant in comissionis suae et inquisitionis executione semper constantissime affecit, non sine magno saepe vitae suae periculo, quem Franciscum nisi S^mus D. N. Clemens ad instantiam ill^mae Dnae Archiducissae quorundam avaritia excecatorum suggestionibus circumventae ab officio destitisset, audeo dicere cum multis prudentibus et zelosis viris harum partium quod

in his partibus iamdudum ne vestigium quidem forte extaret Lutheranae haereseos; cum iam multis in locis plus infectionis sit quam fortasse putetur, maxime in emporio Antverpiensi et per insulam comitatumque Hollandiae, ubi tamen proxime satis acris et celebris executio de mandato et cum assistentia dictae ill^{mae} per eos qui nunc sunt inquisitores, facta est. Sed non potuere perversi et sibi conscii tam acrem et animosum haereticorum persecutorem, qui ad moriendum pro fide ubi res posceret resolutissimus erat, diutius ferre; sed magnis (ut timeo) largitionibus intervenientibus eum destitui procurarunt. Unde ille quidem (quod ad ipsum attinebat) gavisus est; ill^{ma} vero domina et illi ipsi qui eius excellentiae ut illum destitui procuraret dolose persuaserant, videntes in quantam flammam modicus ab initio ignis in his partibus evasisset, non semel (credo) poenitentia ducti sunt; et hactenus quidem de Egmondano. Restat ut de magistro Vincentio Dominicano et quid cum eo egerim, dicam. Is igitur (ut dixi) dum ego Lovanii essem, inde aberat, profectus nescio quo, fidei causa. Quem postea aliquanto interiecto tempore Antverpiae non requisitum offendi, eique mandata SS^{mi} D. N. exposui; quibus ille auditis, illico respondit non esse se qui Vicarii Christi iussionibus obsistere vellet; cum quicquid in negocio fidei egisset ac dixisset magna ex parte pro tuenda et asserenda dignitate Apostolicae Sedis et auctoritatis quam nimis contemptim a Lutheranis convelli dixisset et egisset. Sed salva semper pace, et bona venia S^{mi} D. N. mirari se ait tantum apud eius Sanctitatem valuisse querelas Erasmi, quem omnes scirent quomodo scriptis suis de Sede Apostolica et religione meritus esset, ut ad ei complacendum eadem sanctitas fidei et religionis dictaequae Sedis propugnatoribus silentium imponendum censuisset, nec videre quidnam animi de cetero habituri essent reliqui theologi et praedicatores Verbi Dei ad exponendum se mille indignationibus et periculis pro Chrlsti fide tutanda et ab haereticorum fermento vindicanda, si eis qui pro praecipuis fidei ipsius defensoribus et haereticorum persecutoribus ubique reputarentur ac nominarentur, a Christi vicario silentium imponi intelligerent. Addidit tamen se diligentius de dando mihi vel S^{mo} D^{no} Nostro per ordinis sui Procuratorem finali responso, cogitaturum interea dum ego Lovanium redirem, quo post aliquos dies rediturum me spopondi; licet postea ob certa impedimenta

fuerim prohibitus sponsionem meam adimplere; rogavitque me ne ante meum reditum et iteratam secum communicationem super hac materia SSmo Do N. de se suave responsione quam tumultuarie et ex improviso reddidisset, quicquam rescriberem. Certior autem factus me non rediturum hac vice Lovanium per litteras Egmondani mihi respondit pridie kal Septembris fere sicut prius; mirari scilicet se rem; adiiciens se plenius responsurum ubi suus Provincialis et quidem alter magister sui Ordinis haereticae pravitatis in Ordine illo inquisitor secum, ipseque cum illis convenissent. Quod plenius responsum cum hucusque ad me non pervenerit, fortasse quia Smo D. N. per dictum Procuratorem in urbe residentem viva voce responderi curaverit, non putavi ego mihi diutius differendum rescribere Rmo Dno meo Datario quid cum dictis Egmondano et Vincentio in re mihi commissa egissem. Qua in re non omittam etiam meam sententiam dicto Domino meo per dominationem vestram et per eum, si videbitur, SSmo Dno nostro explicare, idque ita mihi Deus benefaciat, summa cum fide et synceritate. Videtur itaque mihi res haec esse quidem in se non valde magna; sed tamen propter ea quae inde sequi possunt non esse parva reputanda. Norunt namque omnes quam parum utiliter, ne dicam pernitiose, Erasmus scripserit in magna scriptorum suorum parte quae fidem ac religionem respiciunt: et quomodo ex scriptis eius plurimi eius admiratores (qualis etiam ego esse soleo) valde adiuti sint ad facilius amplectenda pessima dogmata Lutheranorum et male sentiendi de multis articulis fidei, maxime de primatu Petri et Romani Pontificis, de virtute humanarum constitutionum, de Indulgentiis, de confessione et multis aliis de quibus ille in opusculis suis multorum iudicio non satis pie neque catholice loqui videtur. Praeterea quod supra ex verbis Egmondani scripsi eum per epistolam hortatum fuisse Lutherum non quidem ut faceret quod faciebat et quod pessime caeperat, sed ut id perpetuo faceret, audivi ex quodam doctissimo et fide dignissimo viro factum fuisse ab eo etiam posteaquam Lutherus inceperat manifeste venena sua effundere; ipsamque epistolam qua hoc Erasmus scripsit esse publice impressam[1]) Quod si ita est nescio quomodo

---

[1]) Fortasse hic agitur de Epistola Luthero data anno 1519 de qua ipse Erasmus scribit anno 1524 Melanchtoni: „Ne scriberem persuasit illa prima ad Lutherum epistola magno meo periculo edita". (*Erasmi:* Epist. DCCIII. fol. 817.

ille videri possit ab hac factione fuisse vel esse prorsus immunis. Quam ob rem multis apparet non esse nimis consultum S^mum D. N. vel brevibus ad hominem scriptis, vel factis ostendere se admodum vel magnificare vel etiam timere illum, aut propter eum imponere silentium bonis et zelosis hominibus scripta eius merito et necessario hominibus suspecta reddentibus et in quibus vere reprehensibilia sunt ea reprehendentibus; ne videlicet alii Theologi et praedicatores non usque adeo fervidi, hoc cernentes tepidiores reddantur ad obiiciendum se rabiei Lutheranorum et mille periculis. Id quod hoc tempore maxime cavendum est, cum inde multum plus mali sequeretur quam si Erasmus a SS^mo D^no N. contemptus de industria scriberet in eius Sanctitatem et universam Sedem, utpote qui etiam si pessime scribere conaretur, peiora iis quae Lutherus scripsit scribere non posset. Sciunt praeterea omnes eruditi et etiam mag^a hieruditorum a bonis praedicatoribus instructi quam parum fidei tribuendum sit Erasmo in rebus theologicis, cum in patria utriusque linguae et grammaticae atque rhetoricae multum omnino sit tribuendum, intra quarum linguarum artiumque limites si sese continuisset, non adeo infeliciter tanquam parvo fructu sese rebus theologicis ingessisset. Neque tamen negaverim eum multa scripsisse bona atque utilia et quibus studiosi etiam theologiae non parum adiuvari possint si caute et cum iudicio ea legant; sed propter valde multa quae in eis insunt vel erronea vel scandalosa vel piarum aurium offensiva, crederem ego magis profecturum fuisse Christianae reipublicae si Erasmus nihil omnino de rebus theologicis attigisset vel scripsisset. Immo non desunt qui putent minus nociturum fuisse si aperte pro Luthero stetisset quam utroque pede claudicando et duos (ut in adagiis eius est) parietes ex una fidelia dealbando, nunc uni nunc alteri parti videri adhaerere velle; dicuntque doctores plus nocere eos qui tempore schismatum (quale nunc est in Ecclesia ehu nimium grave) utriusque pariter et neutrius partis esse volunt, quam eos qui plane unam partem etiam deteriorem amplectuntur. His itaque et similibus rationibus videtur qnod SS^mus D. N. et rev^mus

---

Lugduni Batav. 1705). At ipsa ad Melanchtonem missa epistola die 6. Sept. 1524 non dubie ostendit favorem quo Erasmus, nisi omnia, certe multa Lutheri opera et scripta prosequebatur. Nondum enim in eum aperta convicia Lutherani, spe secum illum habendi perdita, iniecerant, sicut serius fecrunt.

d^us meus datarius debeant mature cogitare de iis quae ad hanc materiam pertinent, imponendi scilicet in gratiam Erasmi silentii illis quorum libertas vocis in damnandis illius erroribus collaudanda et excitanda esse videretur, ne cum satisfacere et placere volentes multos longe synceriores et magis necessarios languentes ac tepidos reddant. Neque enim putare debent latere posse totum mundum quod hac re in gratiam Erasmi contra dictos duos Theologos providerunt; cum credendum sit illum de hoc apud omnes etiam scriptis publicis gloriaturum, quemadmodum breve quoddam quo S^mus D. N. vel Rev^us d. Datarius S^tis eius nomine ei pollicitus fuerit dictis duobus theologis silentium imponere, eum audio a calcographis excudi ac vulgari fecisse. Quae nimirum ratio me movit ne ipsi Erasmo quicquam scripserim de commissione et mandato mihi ad memoratos duos Theologos a SS^mo D. N. seu R^mo D^no Dataric datis; quod videlicet timerem eum scriptis suis de hoc gloriaturum. Immo vero vix cuique praeter dictos duos theologos dicere ausus sum de commissione mea, quo res secretior remaneret; propter quod et illos ipsos distincte requisivi ne rem publicarent; nam et hoc in mandatis habui ut rem hanc secreto et sine tumultu paucisissimisque consciis agerem. Quod quum video meam in hoc industriam parum profecisse; siquidem accepi D. Albertum Pighium mense (credo) Julio de hac eadem re scripsisse et ad Rectorem et ad Facultatem theologicam dictae Academiae seu Universitatis Lovaniensis, dicendo S^mum D. N. expresse iubere ut dictis Egmondano ac Vincentio silentium (ut praefertur) imponerent, alioquin futurum ut non sine gravi ipsius Academiae dedecore et incommodo Sua Sanctitas illos mutos redderet: ut iam nemo fere in his partibus sit qui rem hanc non vel sciat vel facillime sit sciturus. Unde qualem triumphum putamus Erasmum acturum, quasi qui vel Sedis Apostolicae iudicio ac censura victoriam adversus eos qui se merito in multis reprehendebant consecutus sit; dum illos obmutescere debere, se vero in scriptis suis libere et sine contradictione toti mundo loqui posse obtinuerit? Qualem vero e diverso dolorem et gemitum existimamus inde passos fuisse ac iugiter pati eos qui norunt et vident quam hoc Reipublicae sit damnosum? et quam multi hinc sint animandi ut post Apostolicae Sedis praeiudicium Erasmi scripta libentius legant et facilius credant in magnum animarum suarum detri-

mentum? Quis enim non suspiciat ac miretur scripta quorum auctorem Summus Sacerdos reprehendi prohibuerit? Neque putet R^{mus} D^{us} meus Datarius vel Dominatio V. me hoc odio Erasmi dixisse; quem semper (ita me Deus amet) admiratus sum et cum quo mihi non vulgaris amicitia litteris contracta intercessit et usque hodie intercedit, sed ex zelo ac devotione quibus Religionem Nostram et Sedem Apostolicam Christique Vicarium in ea sedentem ac eius honorem prosequor. Novit Deus qui scrutator est cordium me (quantum in me est) summe desiderare ut omnia Erasmica talia essent, quae sine exceptione laudare et ad sydera extollere possem; sed magis debeo diligere veritatem et fidei integritatem ac S^{mi} D. N., etiam privatim bene de me meriti, honorem quam ullum hominem viventem eiusve honorem etiamsi carere patre esset, nec crederem me fungi officio boni Christiani nedum boni familiaris et officialis Suae Sanctitatis nisi illam admonerem de iis quae tantopere sentio interesse sua ut ea norit, maxime cum eadem Sanctitas mihi benedictionem suam sub meum discessum poscenti expresse iniunxerit ut se de iis commonefacerem quae in his partibus ad fidei integritatem et honorem suum haeresumque extirpationem pertinere censerem. Dixi itaque ego meam super negocio impositionis silentii sententiam; S^{mus} D. N. providebit circa hoc prout sibi videbitur. Dominationem autem vestram oro et obtestor, et quantum possum adiuro ut nemo praeter eam et SS^{mum} D. N. ac Rev^{mum} D. meum Datarium cognoscat me haec de Erasmo scripsisse, ne pro officio fidelitatis hoc consequar ut ab ipso Erasmo publice traductus toti mundo (illis dico qui omnia Erasmica divina esse arbitrantur) fabula fiam. Quod tamen ubi fidei prodesse posset minime recusarem. Sed illo cessante incivile esset et a D. Blosii ingenio alienum ea in vulgus proferre vel proferi sinere quae ego sub sigillo secreti tenenda scribo, alioqui digito labella mea compressurus. Et sciat D^{o} V. me propterea haec per eam, et non per D. Albertum Pighium, mihi alioquin singulariter amicum et secretorum meorum conscium procuratoremque isthinc meum, voluisse D^{no} meo Datario insinuari; quod sciam ipsum D. Albertum ex multo tempore non multum diligere Egmondanum, neque admodum bene de eo sentire propter non nulla mihi nota quae non est huius loci explicare. Quare timui eum, in aliis mihi fidelissimum, in hoc uno non satis fidelem fore vel

saltem contraria dictis meis pro virili persuasurum. Quae Deus scit non ex ulla sinistra mea erga quemquam affectione sed ex solo fidei zelo processisse, etsi adhuc dubitetur utri nostri in hac materia potissimum fides adhiberi debeat, peto, ut tacito utriusque nomine, nec ostensa hac mea epistola, interrogetur Dominus Brundusinus, quo nemo melius omnia ista novit, quid ipse de Erasmo eiusque scriptis sentiat et puto quod apparebit uter nostrum veriora dixerit. Dominatio itaque vestra curet ne me fallat spes et fiducia quam de eius nobilitate in tenenda hac epistola mea concepi, quam etiam rogo ut quantum in ipsa est, faciat omnia fidem concernentia et religionem et in has regiones mittenda exactissime examinari priusquam mittantur, ne scandalum pariant et potius obsint quam prosint, sicut ego timeo de dicta silentii impositione futurum, nisi remedium adhibeatur. Deinde suggero eidem V. D. recogitet num bonum esset scribere unum Breve ad dictam D. Archiducissam quo collaudaretur zelus suus quem cum alias tum novissime in insigni executione in Hollandia contra haereticos facta demonstravit, animareturque ad similiter faciendum in omnibus locis suo regimini ac dominio subiectis ubi opus esse videret, maxime Antverpiae, ubi et ante et post meum reditum, multa enormia a Lutheranis tam in publicis praedicationibus quam in privatis conventiculis in contumeliam Dei et fidei suae perpetrata sunt. Et alterum Breve ad Rmum D. Leodiensem quo ipse similiter laudaretur de eo quod civitatem suam Leodiensem et temporalia Dominica Ecclesiae Leodiensi subiecta, quae profecto non modica sunt, tam incontaminatam servaverit quantum ad Lutheranam haeresim finitimis civitatibus et locis non parum illa infectis; et insuper hortaretur ut dictae Dominae pro prosecutione sancti operis ab ea incepti, consilio, auxilioque suis pro virili assisteret. Crederem ego haec brevia non nihil boni operatura: de quibus tamen Dtio V. pro arbitratu Rmi Dni mei Datarii et suo faciet. Mihi sat est admonuisse de eo quod mihi convenire videretur. . . .

Leodii XXVI Octobris 1525.

262.

Theodor. Hezius Jo. M. Giberto.

(Eckii et alior. epist. fol. 265.)

(27. October 1525.)

Postquam litteras prolixas presentibus alligatas ad D. Blosium scriptas et per illum Rev^{mae} D. V. suo tempore secretissime recitandas, perfecissem et iam obsignare vellem, commodum redditae sunt mihi litterae e R^{mae} D. V. XXI Julii ad me datae: quibus illa me admonet ut mandata discedenti mihi ab urbe a se tradita, maxime illud quod Erasmum tangit, cum dexteritate simul et celeritate executioni demandare curem. Et quia dictis litteris D. Blosio intitulatis satis diffuse (licet ruditer et inculte nimis) expressisse mihi visus sum et quid cum illis duobus theologis Erasmo odiosis diversis temporibus egissem, et quid responsi ab utroque eorum accepissem et quanam de causa tam diu R^{mae} D^{ni} V. rescribere distulissem; insuper quid ego quoque de tota ea re sentirem, non putavi opus illa praesentibus repetere, sed solummodo litteras Blosio prius destinatas (non obstante quod lituris, expunctionibus et additionibus marginalibus deformes et conspectui R^{mae} D. V. indignae essent) non ad ipsum Blosium sed ad ipsammet R^{mam} D^{nem} V. sine interposita persona et (ut ita dicam recta via) mittere decrevi; prout impresentiarum facio, orans et obtestans R^{mam} D^{nem} V. per caritatem Dei et suam ingenitam urbanitatem animique generositatem ut quicquid in dictis litteris scribo Erasmum respiciens sub sigillo confessionis accipiat, ac perpetuo secretum apud se sepultum teneat, nisi forte S^{mo} D^{no} N. ea quae scribo communicare voluerit, cui nihil huiusmodi celatum esse debet. Nolo enim ego qui pacis amans et contentionis abhorrens sum, habere negotium cum hominibus qui (ut ait quidam) ferrum habent in cornu et omnes qui a se dissentiunt mordacibus verbis et scriptis traducere gaudent; et tamen Deum omnipotentem ante cuius tribunal ego iudicandus astabo, testor me ea quae contra Erasmum scripsisse videor, non eo fine scripsisse ut ei apud R^{mam} D^{nem} V. vel S^{mum} D. N. in minimo nocerem; quippequem (excepta causa fidei) ex animo diligo et cuius maximus semper admirator

fui; sed quia visum est mihi ad officium meum et fidem quam Christo eiusque Vicario debeo, pertinere, ut R[mam] D[nem] V. commonefacerem de iis inconvenientibus et scandalis quae sequi posse video si S[mus] D. N. per impositionem silentii de qua agimus, hominibus istarum partium occasionem dederit existimandi suam Sanctitatem stare pro Erasmo (quem multa perversa scripsisse certissimum est) adversus illos quorum opera factum est et quotidie fit ut Lutheranis non sit liberum in his partibus (prout in multis aliis) omnes subvertere et in sententiam sum attrahere. Credat mihi R[ma] Dominatio V. non esse adeo multos in his partibus qui Lutheranis se libera voce obiicere velint et id rationabiliter possint, ut imponendum sit silentium iis qui ad hoc apti et voluntarii inveniuntur, certissimumque est non posse non improbare multa Erasmi (de intentione eius non loquor, quam spero bonam esse) eos qui synceram fidem ac religionem probant. Quod si ita est, sicuti verissime est, cur quaeso claudendum est os illis qui ea in Erasmi scriptis damnant, quae ab Ecclesia et a veritate damnari manifestum est; et non potius omnes permittendi (ne dicam provocandi) ut sine respectu personarum veritatem, quam sentiunt, populo annuncient? Aut quae ratio sinat ut falsa et pernitiosa in aliis damnentur, non damnentur in Erasmo? Animamus hominem ad scribendum contra Lutherum; et iam audio eum contra Oecolampadium de Eucharistia scribere, sed timeo quod longe melius esset eum dehortari ne quicquam ultra scriberet, nisi forte omnia sacra et syncera esse credimus quae vel de confessione, vel de libero arbitrio, vel de esu carnium et potestate seu vi humanarum constitutionum et similibus scripsisse cernitur. Quod si forte alii aliter de hominis scriptis sentiunt, ego hoc sentio quod dixi, atque hoc sine circuitione clarae R[mae] D[ni] V. expressi; quae sive haec mea scripta probaverit sive non, quaeso ut nullus praeter ipsam ea videat, si tamen in his partibus habere desiderat homines qui veritatem syncere et sine fuco ad Sedem Apostolicam referant; quos certe paucissimos inveniret, nisi ea quae tales de aliis scriberent, secreta remanerent. In summa ego in fide probitatis et nobilitatis R[mae] D. V. me huic periculo exposui propter Christum eiusque fidem. Spero quod R[ma] D. V. fidem hanc meam non faciet irritam. Cui me iterum humiliter commendo. Leodii XXVII Octobris 1525.

Ambo illi theologi lovanienses polliciti sunt se amplius non nominaturos Erasmum haereticum, dummodo tamen ipse a mordendo et perversa scribendo temperet; meo iudicio amplius ab eis requiri non debet. Si quid aliud est quod vel hac in re, vel in alia S[mus] D. N. vel R[ma] D. V. interea dum hic moror a me velit, sum ad omnia, sicut debeo, paratissimus.

Theodoricus Hezius.

263.

Communitas Pragae Baroni Burgio Oratori Sedis Apostolicae.

(**Armar. XI. capsa XII. N. 17.**)

(29. Octobris 1525.)

Magnifice Nobilissimeque Domine, Domine nobis plurima benevolentia conciliate. Nobilitati Vestrae eminentissime obsequia nostra semper in omnibus paratissima dicimus et significamus. Certiore didicimus argumento virtutis etiam experientia cognovimus Sublimitatem Vestram et Magnificentiam singulari quadam gratia cum propter alia multa, tum vero maxime propter Serenissimi Regis Ludovici Domini, Domini nostri gratiosissimi, arctissima magna quidem et necessaria negotia erga Boemiae Regnum usque adeo adfici, uti omnibus rebus utilibus et honestis in predicto Boemie regno ordinatis Regieque Maiestati Domini nostri gratiosissimi pro futuris gratuletur, non minimam quoque inde concipiat consolationem ubi nos multa tenet ambiguitas, quin et hodie quoque eadem gratia Nobilitas Vestra erga Civitatem Metropolitanam Pragensem que regni caput et ubi Regiae est Maiestatis Sedes teneatur. Unde et nunc ex eo potissimum quam per Eminentie Vestre diligentem operam fides vera catholica, pristina iam apud nos pia certe et sancta gaudet libertate, ingentes agimus Excellentie Vestre gratias et habemus, ac futurum est ut nacta quandoque gratum faciendi opportunitate pro nostra virili referamus, hinc est ut sedulo cogemus, ac paulo instantius petamus quo Sublimitas Vestra sicut prius ita vel hodie res nostras curare in hiisque nobis auxilio esse velit et dignetur.

Presertim ubi nunc Regie Maiestati Domino nostro gratiosissimo humillime et sincere scribimus istius rei gratia, quam coram Sua Sacra Maiestate nos in aliam partem quam sumus nonnulli hominum interpretantur, ac longe aliter quam ratio veri dictat depingunt. Quippe amicitiam illam quam una cum Illustrissimo Duce et Domino Domino Carolo Principe Minstebergensi Regni quoque Boemie capitaneo etc. et generoso Domino Domino Leone Burgravio Pragensi, ac ceteris prefati Regni officialibus habemus adscribentes in pernitiem Regni maximumque Regie Maiestatis detrimentum, iacturam quoque irrestaurabilem fore: quod nos libere purum mendatium et meram esse fabulam profiteri et dicere audemus, ut et Regia Maiestas facile colligere poterit ex litteris, quas Sue Sacre Maiestati mittimus Vestre quoque Nobilitati earundem exemplar ydiomate latino profaciliore intellectu conscriptum. Ubi saltem id unicum petimus, ut Eminentia Vestra Sacre Regie Maiestati consulere, suamque Regiam Maiestatem ad id inclinare velit et dignetur, quo Sua Sacra Maiestas nobis fidem adhibeat inque nostram sententiam animo eat; ex eo enim cognitura est et habitura Sua Maiestas copiosum fructum tranquilla in Regno Boemie gubernacula, et quod dicitur Saturnia redibunt tempora. Et si ille celeberrimus Sacrarum Regiarum Maiestatum Domini Ludovici, et Domini Sigismundi Ungarie, Boemie et Polonie etc. Regum Dominorum nostrorum clementissimorum Posonii vel Olomutio (ut auditur) fuerit conventus, ibi coram suis sacratissimis Maiestatibus facile ostendemus et efficiemus longe aliter rem habere quam fidei hostes de nobis in Regiam Maiestatem detulerunt, quibus nos perogativam in querendo publici boni Regni Boemie et regie Maiestatis commodo non dabimus nec vel tantillum quippiam de ea concedemus. Ubi autem ad Sublimitatem Vestram per aliquos hostes fidei Christiane et nostros fama de nobis pervenit quam sublimitati Vestre in negotio, quod ad fidem attinet, verba dicemus, postulamus vehementer et subnixe precamur non adhibeat huiusmodi narrationibus Sublimitas Vestra fidem que nihil aliud in se habent quam livorem et certe mellitum sunt virus; nondum enim de hoc negotio per Regiam Maiestatem indicta fuit in Regno Boemie dieta, in qua relationem nostre legationis faceremus. Efficiat ergo celsitudo vestra rogamus apud Regiam Maiestatem nec diutius

iam nos regia Maiestas in animo suspensos tenere et immorari ea re dignetur, sed quam Sua Maiestas quam primum fieri potest dignetur dietam illam non alibi sed circa suum tribunal in Arce Pragensi indicere, ut in quo loco de fide inceptum est agere in eodem quoque loco de ea concludatur et finiatur. Ibi enim illo tempore res longe aliter habebit quam ad Eminentiam vestram de nobis est delatum, ac tum primum ibidem, id quod de compactatis faciendum promissimus, summo studio perficere quod in nobis est et erit conabimur. Postremo hec sit Sublimitatis vestre apud S. R. M. D. N. G. intercessio atque tale consilium etiam precamur, cum propter multa tum vel maxime ob publice concordie charitatis et amoris dilectionem quod pertinet ad partem incredulorum et erroneorum hominum qui sibi iam nullum prestare possunt consilium neque quorsum diverti debeant sciunt, ut Sua Sacra Regia Maiestas in proposito quod nostris Oratoribus aperire voluit, immota veluti nos, persistere, qui ab Sua Maiestate mandatum accepimus velit et dignetur. Nos vero omni studio benevolentia et obsequio omnibus temporibus secundis et adversis Sublimitati Vestre gratitudinis memores respondere erimus paratissimi, Eminentiam Vestram optime felicissimeque valere cupimus et desideramus.

Prage Dominico post Simonis et Jude Apostolorum Anno Domini Millesimo quingentesimo Vigesimo quinto.

Magister civium et Senatus
Civitatis Pragensis.

264.

Episcopus Tridentinus Clementi VII.

Epist. Princ. III. 332.

(10. Nov. 1525.)

Nuper litteris meis conatus sum declarare multis argumentis vestre beatitudini quod optime conduceret quempiam legatum destinari ad dietam imperialem Auguste futuram; de illius rei deliberatione quum postea nihil mihi video nunciari, subveritus sum ne ego in mente mea unum conceperim cuius contrarium ipsa verborum pronuntiatio innuere visa sit, siqui-

dem nihil videbam propter quod Vestra Beatitudo contineri posset a mittendo legato, quam si preteriti temporis ratione moveretur; quippe quod forte cogitaret antiquum Germanorum morem obsoletum esse quum antea consuevissent Sedem Apostolicam revereri et quosque suos observare; iam autem contemnere et eos ludibrio habere ut si quis maxima etiam polleat prudentia et gravitate, vix tamen sperari possit quod aliquid proficere queat; ob hoc studui declarare non ideo minus rem denuo esse tentandam ex Apostoli documento quo monet nos ut iugiter instemus, increpemus, operemur et in omni bono opere invigilemus; sed vereor, B[me] P[r] ne fieri possit (preter tamen propositum et opinionem meam) quod aliquis arbitretur me taxare voluisse consilia et actiones aliquorum qui antehac legatum egerunt in Germania, quasi minus prudenter res istas tractare sciverint, quum tamen nemini sit obscurum et mihi maxime, horum magna ex parte inscio, precipue de ultimo R[mo] legato suo, quam diligenter, quam placide quam indefesse et circumspectissime omnia per ipsum tractata fuerint, ut quantum ad ipsum attinet, nihil fuerit quod magis desiderari potuisset; neque ego adeo inhumanus et impius essem qui de tantis viris obloqui auderem, precipue quod id sit a meis moribus alienum et male quis obloqui possit ubi nihil vitio tribui potest. Non fuit iste animus nec intentio mea prorsus; nempe hec quia inscitiam Germanorum taxare volui qui quos venerari et observare deberent, eos iam minus honeste suscipiunt et longe aliter tractant quam se ipsos deceret, ut potius contemni et ludibrio esse videantur quam quod observentur et ipsorum consiliis et doctrine sane eorundem adherendum esse putent; ob hoc enim quum missi sui apud Germanos hoc iniquo tempore in aliqua reputatione non habentur, in qua nec vestra Beatitudo si interesset (ut vereor) haberetur, subdubitabam, ne ilhinc consilium iniret legati amplius non destinandi, propter quod solum illud verbum protuli, non etiam quod dignitati cuiuspiam detrahere voluerim, ubi magis commendari merentur quam incusari. Quare Vre. B. supplicandum putavi ut verbum meum eodem sensu accipiat expositioni et interpretationi mee conformi, non etiam illo qui menti mee penitus adversetur, alioquin fieret quod ego de hinc manum continerem a litteris scribendis, si aliter verba prolata esse intelligerentur quam ego illa proferre voluissem; sed et

quomodocumque accipiantur verba mea, mihi satis esse putabo quod recte sentiam de V. B[ne] illiusque rev[mis] dominis Cardinalibus, pro qua et ipsis omni tempore non cessabo ubicumque fuero officii mei debitum impendere, quos maxime curaturus sum apud ser[mum] principem ad quem brevi me proficisci oportet litteris ut frequentibus ita vehementibus sue serenitatis interpellatus... Ex Tridento die X. Nov. MDXXV.

265.

Rorarius Sadoleto.

(Varior. ad Clem. II. 61.)

(16. Novembris 1525.)

Scrisse già più giorni a V. S. R[ma] de quanto pertenea a la futura dieta imperial, nè perhò finora è alchuna certeza che li habiano a venir Principi Electori personalmente, anchor che alchuni de lorro habia già più giorni conducto lozamenti voriano volentieri che la fusse in una altra terra transferita; pur a la fine non mancaran de mandar li oratori, nel qual caso non si pol expectar altro che habiano a tractar et concluder secundo la maligna voluntà de le terre franche, et se Cesar con el venir in Germania non li remedia, se pol expectar una magior ruina de quella fin hora è sta iudicato.

Li Norimbergensi hano facto uno edicto de directo contra imperial, cioè che niuno presumi de vender libri quali siano contra de Luther.

El Principe partiva de qui per Augusta apresso dimane et de li secondo succederan le cosse ne darà aviso a V.S. R[ma]. ...

Tubingae die XVI. Novembris 1525.

266.

Archiepiscopus Moguntiae Clementi VII.

(Epist. princ. III. fogl. 352.)

(12. Dec. 1525.)

Etsi nihil sit quod timere debeat mens sibi conscia recti, admodum tamen be[is] v[ae] littere proxime in forma brevis ad me date me consolate sunt, cum quod ex eisdem intellexerim

me pro mea innocentia a maledicorum morsibus apud v^{am} b^{em} mea excusatione iam satis defensum, tum quod B^{ma} Paternitas vestra pro sua clemencia et totius Germanie et mee saluti et dignitati si quid ab ea fieri oporteat se non defuturum pollicetur. Est siquidem modo ecclesiasticarum rerum passim per Germaniam is status ut B^{me} P. vestro consilio auxilio et auctoritate maxime indigeat. Unde B^{mam} p^{m} vestram pro filiali subiectione ea celare non possum que eandem scire plurimum refert. Nempe in Diocesibus meis sunt quidem, scilicet princeps Wolfgangus de Anhalt et duos comites de Mansfeld Gebhardus et Albertus fratres, qui virginum monasteria nuper a sacrilegis et seditiosis rusticis ferro et igne vastata cum bonis et attinenciis omnibus occupant et vi detinent, potencia quamplurium Germanie principum et comitum non aspernande potentie et auctoritatis suffulti, qui lutherane Secte publice favent illamque amplectuntur, palamque asserunt monasticam vitam esse blasphemiam et contra honorem Dei, contra fidem, necnon contra proximi charitatem institutam. Et est siquidem illorum qui super ea re conspirarunt tanta potencia ut nec a me nec ab alio quantumvis magno principe solo facile illis resisti poterit, nisi Caes. ipsa Maiestas V. B^{nis} innixa consilio illis rebus manum et quidem fortem apponat. Ego enim cum eisdem comitibus de Mansfelt vasallis et subditis meis pro debito personalis officii mei diligentissime egi, persuasi, monui, petivi, tandem etiam comminatus sum et nullum lapidem non movi; nihil tamen promovi, nam ipsi in contumacia sua perseverant, asseruntque plus Deo quam hominibus obediendum esse. Et quotiens cum eis super ea re tractandum est princeps elector Dux Saxonie Philippus Landgravius Hassie et multi alii eadem labe infecti oratores et legatos suos illis adiungunt, quorum consiliis ipsi Comites omnia agunt. Porro predicti principes et comites Missas et preterea omnes ecclesie ritus et ceremonias per terras eorum penitus abrogant, omnem Ecclesie ordinationem blasphemiam esse dicunt, et interea proh scelus! paupercule Deo dicate Virgines a monasteriis suis fugate simulque rebus suis patrimonialibus quas monasteriis attulerunt orbate, miserabiliter passim vagantur, nec certam habent sedem ubi morantur, non sine magno periculo sue pudicitie, et honoris; nec minus ecclesiarum omnium rebus periculum subest quas eodem pretextu ipsi seculares principes

et comites vi aufferre et occupare indubie tentabunt, nisi V^{ra} B^{ma} P. oportunis remediis hiis malis quam celerius occurrat et diligentius apud Ces. ipsam M^{tem} catholice et apostolice Ecclesie advocatum agat, ut sua Caes. M^{as} vestre Beatitudinis auxilio et consilio fretus hanc hereticorum pertinaciam manu forti comprimat, honorem Dei et Ca^{oe} fidei statum defendat, publicamque pacem, tranquillitatem tueatur; nam absque eo neque innocentia ipsa in reprobos tuta erit. Quare V^{am} B^{em} ut summum et vere Pontificem orthodoxe fidei curatorem et S^{i} Petri successorem pro eius in christianam religionem amore et pietate et animarum omnium salute; humilime oro ne diutius hiis turbulentissimis rebus manum apponere, illisque paterne mederi differat, cum nec alio aut via aut modo post Deum, quam per Cesaris auctoritatem fieri posse mihi plane persuadeo; nam pertinaces ipsi nullas monitiones audiunt, excommunicationes rident et omne consilium ab eorum opinione diversum plane aspernantur. Sed hoc forsan longius quam satius ago, non enim satis explicare possum quantum periculi animabus miselli populi simulque omnibus Ecclesie ordinibus immineat, unde V^{am} B^{em} hec boni consulat etiam atque etiam oro.

Preterea ab iis qui in urbe mea negotia agunt accipio nec dum a V^{a} B^{e} ne impetrasse ut iuxta priorum Pontificum indulta, pro conditione status mei gratiose concessa super collatione omnium beneficiorum sub ecclesiarum mearum districtu vacantium V. B^{ma} P. confirmare voluerit (Rogat ne „in re tam modica difficilem se praebeat“).

Dat. in oppido meo Halli die XII. Dec. MDXXV.

Albertus Card. Moguntinus.

Appendix.

De natalibus Clementis VII.

(Arm. VIII. caps. 2 N. 1.)

(20. Sept. 1513.)

Leo Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Ad Romanum Pontificem inprimis pertinet non solum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi singulas actiones que ad nostram sunt instructionem, verum etiam eius verba que non absque profundi sensus misterio protulit, quique dixit; Ego sum lux mundi, que pulsis ignorantie tenebris, veritate previa, per rectam iustitie semitam cuncta ducit, imitari; quocirca nos eiusdem Salvatoris nostri, licet immeriti, vices gerentes in terris, ac in sede iustitie divina dispositione locati, ex debito pastoralis officii, ut quorumcumque personarum status et conditio prout decet equo libramine pensitentur et unicuique suum tribuatur ius, curare tenemur et, comperta veritate, declarationis oraculo clara et plana facere, ut exinde erronea opinione et contraria fama sublatis, omnis dubietatis fomes removeatur. Cum nuper fide dignorum relatione perceperimus quod dilectus filius Julius Electus Florentinus, quem hactenus de quondam Juliano de Medicis Cive Florentino, secundum carnem Patruo nostro et Floreta Antonii Muliere Florentina tunc in humanis agentibus, genitus, defectum natalium pati reputatus, secumque tamquam defectum huiusmodi patiente, in provisionibus beneficiorum sibi factis per predecessores nostros et per nos, cum nuper de persona sua ecclesie florentine tunc certo modo vacanti providissemus, ipsumque illi preficissemus in Archiepiscopum et Pastorem ut illi preesse posset dispensatum fuit, quod in veritate ex legitimo matrimonio inter eosdem Julianum et Floretam per verba legitime de presenti contracto et carnali copula consumato procreatus erat ac quod aliqui ex testibus qui

tunc quando matrimonium huiusmodi inter eos contractum fuit presentes fuerant adhuc vivebant. Nos ne erronea huiusmodi et vaga fama veritati noceat, in Consistorio nostro secreto Francisco sanctorum Joannis et Pauli et Leonardo sancte Susanne tt. presbiteris Cardinalibus dilectis filiis nostris, ut super causa et negocio legitimitatis ac illegitimitatis ac natalium Julii Electi huiusmodi etiam eo vel alio pro eo non instante, vocatis sua in premissis interesse putantibus, ex officio inquirerent et cognoscerent veritatem, ipsis invicem, unum ex eis aut alium vel alios prout eis videretur subdelegandi ad procedendum in premissis, etiam feriis de mense Septembris per Nos indictis, non obstantibus, facultatem, tribuendo, ac postmodum quicquid super huiusmodi legitimitate vel illegitimitate inveniretur, in eodem Consistorio referendi, vive vocis oraculo ut in similibus fieri consuevit commissimus, ac etiam super hoc comissionem manu nostra signatam per duos ex nostris Cursoribus presentari mandavimus ac fecimus, ipsique Cardinales commissionis huiusmodi vigore seipsos ad invicem et dilectos filios Johannem Paschalis et Gentilem de Carlenis clericos, eorum Auditores, ad in huiusmodi inquisitionis causa procedendum, et quicquid per eos in eadem inventum foret eis referendum subdelegarunt, ac dilectus filius Magister Angelus de Cesis Aulae nostre Consistorialis Advocatus, asserens se eiusdem Julii Electi intimum et precipuum amicum ac sua interesse, ne quis indebite vel iniuste diffamaretur, tanquam talis ac alias ut unus de populo coram prefatis Cardinalibus comparens processum in huiusmodi causa per Edictum publicum in Alma Urbe nostra et Valvis Cancellarie Apostolice ac Acie Campiflori affigendum contra omnes et singulos sua in premissis communiter vel divisim interesse putantes si qui forent instituendum et continuandum ac citationem per edictum contra sua interesse putantes in Valvis et Acie predictis affigendam contra ipsos sua interesse putantes ad dicendum et excipiendum quicquid verbo vel in scriptis contra ipsam prefatis Cardinalibus ut prefertur factam et presentatam commissionem dicere sive excipere vellent ad certum peremptorium tunc expressum competentem terminum decerni obtinuit. Ac postmodum in eodem termino coram prefatis Francisco Cardinali Commissario ac Johanne et Gentile Auditoribus ut prefertur subdelegatis comparens Edictum citationis huiusmodi

in Valvis et Acie predictis per unum ex dictis Cursoribus debite affixum et legitime executioni publice demandatum iudicialiter reproduxit, ac citatorum inibi contentorum non comparentium nec aliquid contra ipsam commissionem dicere seu excipere curantium, contumaciam accusavit, ipsosque contumaces per ipsos Franciscum Cardinalem ac Johannem et Gentilem Auditores reputari fecit, ac etiam obtinuit, necnon postmodum coram ipsis nonnullos Articulos super natalibus et legitimitate predictis obtulit, et aliud citationis Edictum contra ipsos interesse putantes similiter affigendum et exequendum ab eisdem Cardinalibus ad dicendum et excipiendum quicquid similiter contra ipsos articulos dicere sive excipere vellent, ac ad videndum et audiendum ipsos articulos ad probandum admitti, et Testes super illis ac tota causa huiusmodi, iurare et ad iurandum admitti ad certam diem iuridicam tunc expressam, terminum quidem etiam peremptorium competentem, ac ad dandum interrogatoria si qua dicti citati pro ipsis Testibus interrogandis dare vellent per totam illam et sequentem dies, more solito decerni fecit, ac eadem die adveniente Edictum posterioris citationis huiusmodi in valvis et Acie predictis per unum ex dictis Cursoribus similiter affixum et executioni demandatum in illius termino predicto coram ipsis Francisco Cardinali ac Johanne et Gentile Auditoribus etiam reproduxit, et citatorum predictorum non comparentium nec aliquid contra ipsos Cardinales dicere vel excipere curantium per ipsum Angelum contumacia accusata, ipsisque contumacibus reputatis, per ipsos Franciscum Cardinalem ac Johannem et Gentilem Auditores dictos Articulos ad probandum admitti petiit et obtinuit, ac coram eis nonnullos Testes fidedignos super ipsis articulis et tota causa inquisitiones huiusmodi induxit, et per Franciscum Cardinalem tam suo quam Leonardi Cardinalis et College nominibus, ac Johannem et Gentilem Auditores prefatos etiam recipi et admitti ad iurandum prout iurarunt tactis per eos et eorum quemlibet ob hoc Scripturis sacrosanctis ad sancta Dei evangelia de dicendo puram meram et sinceram, quam super hiis scirent veritatem, amore favore ira et invidia penitus postpositis. Et successive, ne ab aliquibus tempore procedente de fide et legalitate dictorum Testium aliquid possit hesitari prefatus Angelus certos alios Articulos legalitatis ipsorum Testium comprobatorios coram prefatis Francisco

Cardinali ac Johanne et Gentile Auditoribus apud acta cause inquisitionis huiusmodi exhibuit, et deinde alio simili citationis edicto similiter ad dicendum et excipiendum contra illis et videndum eos admitti ac iurare Testes tam super illis quam tota causa huismodi ab ipsis Cardinalibus decreto et emanato, ac pari modo publice affixo et debite executioni demandato ac ipsis Testibus sicut prefertur iam inductis et juratis, et conspectui eorundem Francisci et Leonardi Cardinalium presentatis et per eos super dictis articulis et contentis in eis, prius ac deinde per ipsos Johannem et Gentilem Auditores etiam secreto et sigillatim examinatis, eorumque dictis et depositionibus in scriptis fideliter reductis, ipsosque posterioris citationis edicto, coram ipsis Francisco Cardinali ac Johanne et Gentile Auditoribus in illius termino reproducto et citatis in eo contentis per ipsos Franciscum Cardinalem ac Johannem et Gentilem Auditores contumacibus reputatis, dictos posteriores articulos similiter ad probandum admitti et nonnullos alios Testes super ipsis posterioribus articulis et tota causa huiusmodi similiter induxit, et ad iurandum recipi obtinuit, prout similiter iurarunt, et termino ad dandum interrogatoria pro illorum examine competenti prius lapso, examinati fuerunt dictis et depositionibus eorum in scriptis pariter redactis. Et tandem ipsi Franciscus et Leonardus Cardinales actis super premissis factis et in eis contentis per eos visis ac diligenter inspectis, ac omnibus et singulis que in causa ipsa, acta et actitata fuerunt diligenter et accurate per eos etiam examinatis in Consistorio prefato premissa omnia et singula etiam Testium depositiones coram nobis et aliis venerabilibus fratribus nostris sancte Romane Ecclesie Cardinalibus nobiscum inibi consistorialiter sedentibus, magna cum maturitate retulerunt exposuerunt et narrarunt. Nos visa citatione ad audiendum sententiam nostram ad hanc diem facta ac relatione huiusmodi audita et intellecta, ac illis et aliis que ex processu et depositionibus Testium huiusmodi resultabant, simili maturitate pensatis et libratis ac ex illis clare comperto quod Julianus et Floreta parentes dicti Julii Electi, fuerunt, dum viverent legitimi Coniuges, et matrimonium inter se per verba legitime de presenti contraxerant, quodque dictus Julius Electus iure dictante, eorum filius naturalis et legitimus existit, quodque propterea nullum natalium defectum passus fuit, nec patitur, de dictorum Cardinalium

Consilio, et unanimi consensu illorum, nemine discrepante, processum in premissis habitum primitus et ante omnia approbantes et confirmantes ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus siqui forsam intervenerint in premissis dictique processus solemnitates forsitan minus rite servatas, aut etiam in totum omissas apostolica auctoritate ac de apostolice potestatis plenitudine supplentes, in dicto Consistorio pro Tribunali sedentes talem in negocio et causa huiusmodi sententiam damus in hiis scriptis et proferimus in hunc qui sequitur modum: Supremi eternique Tribunalis Judex, cuius divina disponente clementia vices in terris gerimus nos verbo et exemplo docuit in rebus omnibus presertim gravibus neque fama decipi neque alias gestorum vestrorum defensioni nimium inviti, dicente domino, descendam et videbo utrum clamor qui ad me pervenit, opere compleverint, et eodem iubente, servum coram se rationem reddere villicationis; Nos igitur gesta vestra corrigere et ad veritatis semitam reducere iuxta Apostoli Nicolaique predecessoris nostri sententiam, ut par est, volentes, quamquam usque in hec tempora fama suadente pro comperto haberemus, dilectum filium Julium Electum Florentinum natalium pati defectum ideoque cum eo in promotione ad ecclesiam florentinam predictam de Venerabilibus fratrum nostrorum sancte Romane Ecclesiae Cardinalium consilio dispensaverimus prout alias super eodem defectu a pluribus predecessoribus nostris dispensatum fuisse comperimus; quoniam tamen nonnulli antiquiores etiam sanguine coniuncti, ut in rebus gravibus fieri solet, rem aliter se habere arbitrabantur, et nobis retulerunt; nos de premissis certam notitiam non habentes, stimulis conscientie agitati, veritatem rei seriosius inquiri cupientes ne illegitimum pro legitimo et legitimum pro illegitimo haberemus, dilectis filiis Francisco sanctorum Johannis et Pauli et Leonardo sancte Susanne tt. presbiteris Cardinalibus dedimus in mandatis ut super premissis se diligentius informarent, etiam quorum interesset citatis; ex quorum post plurimum Testium examen per eos diligenter factum in Consistorio nostro secreto relationibus dilectum filium Julium Electum prefatum legitimum esse atque ex legitimo matrimonio natum fuisse reperimus. Veritate itaque manifestata cum iuxta Canonicas Sanctiones, cedat opinio veritati, Omnipotentis Dei eiusque Individue Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti nomine

invocato, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam ex nostro officio ad nullius partis instantiam et de plenitudine potestatis quoad validitatem processus et sententie huiusmodi procedentes, de eorumdem fratrum nostorum consilio et assensu, in hiis scriptis ferimus pronuntiamus decernimus et declaramus in causa et causis de et super natalibus dilecti filii Julii Electi prefati, rebusque aliis in actis cause huiusmodi latius deductis prefatum Julium Electum legitimum et ex legitimo matrimonio natum fuisse et esse, eumque pro legitimo et ex legitimo matrimonio procreatum in omnibus et per omnia pleno iure, vere et non ficte, prout in litteris super huiusmodi nostra sententia conficiendis plenius exprimetur, haberi et reputari teneri et tractari debuisse et debere ac decetero perpetuis futuris temporibus habendum reputandum tenendum et tractandum fore, fama dispensationibusque predictis ceterisque in contrarium facientibus, prout revera non obstant, non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre approbationis confirmationis suppletionis pronuntiationis prolationis declarationis decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo quingentesimo tertiodecimo, duodecimo Kal. Octobris Pontificatus nostri Anno Primo

† Ego **Leo** X^{mus} ecclesie catholice eps. subscripsi

L. S.

† Ego T. presb. Card^{lis} Strigonien tt. S. Martini in Montibus manu pp^{ria} subscripsi.

† Ego f. tt. S^{tor} Jo. et pau. presb. Card^{lis} surrentin. manu pp^{ria}.

† Ego N. tt. S. Prisce presb. Card^{lis} de Flisco ss. manu pp^{ria}.

† Ego Hadrianus tt. S. Chrysogoni presb. Card^{lis} Bathonien. manu pp^{ria} SS.

† Ego R. presb. Card^{lis} tt. S. Anastasie Nannetten. subscripsi manu pp^{ria}.

† Ego L. presb. Card^{lis} tt. Susanne.

† Ego C. presb. Card^{lis} tt. S. Cicilie de Finario subscripsi.

† Ego Chri. Eboracen. tt. S. Prax. presb. Card^{lis} subscripsi.

† Ego A. tt. S. Vitalis presb. Card. SS.

† Ego P. tt. S. Eusebii presb. Card^{lis} SS.
† Ego B. tt S. Sabine presb. Card^{lis} de Saulis SS.
† Ego R. Fps. Ostien. Card^{lis} S. Georgii Camer. SS.
† Ego B. Eps. Subinen. Card^{lis} S. † sub.
† Ego Ja. Eps. Alban. Card^{lis} Arboren.
† Ego f. epus Tiburtin. Card^{lis} vult.
† Ego M. Eps prenestinus Card^{lis} Senen. s.
† Ego F. Diacon Card^{lis} sancti Angeli de Sancto Severino SS.
† Ego hip. Diac. Card^{lis} Estensis SS.
† Ego A. s. Eustachii Diaconus Card^{lis} de Farnesio SS.
† Ego L. Sancte Marie in cosmedin dioc. Card^{lis} de Aragonia SS.
† Ego M. sancte marie in via lata Diac Card^{lis} Cornelius SS.
† Ego Al. sancti Theodori Diac. Card^{lis} Petrucius SS.

P. Bombus.

Index Chronologicus monumentorum.

1520.

1521.

1523.

1524.

1525.

Index nominum.